




DECRETA
SACRÆ SEDIS APOSTOLICÆ,

Quotannis à Regularibus temporibus certis legenda,

Cum dubitationibus & Resolutionibus suis, ex DD. varijs collectis, & digestis.

PER

REVERENDISSIMUM PATREM FRATREM

JOANNEM KERY

Ordinis Sancti Pauli Primi Eremitæ Priorem Generalem, AA. LL. & Philosophiæ, nec non Sacræ Theologiæ Doctorem,

Editio Secunda.




Anno Domini M. DC. XCV.

Typis Clari Montis Częstochoviensis



Imprimatur.
Balthasar à Nolaren p. t.
Un: Vien: Rector.

Judico dignum impreßione.
MICHAEL SICUTEN,
Decanus Theologiæ.



ADMO-

)(†)(

ADMODUM REVERENDIS, REVERENDIS, VENERABILIBUS RELIGIOSIS in Christo Patribus, Fratribus, Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ Professis.

QUod multis votis omnibus ex-
petistis, in unum colligo, lu-
cemq; profero, Sanctiones nē-
pe Pontificia præceptione statutis tē-
poribus legi præscriptas. Has, ut ex-
plicatiùs proponerem, perbrevibus
Dubitationibus, & Resolutionibus il-
lustravi. Utinam earum lectioni sic
nostræ incumbant mentes, ut perfe-
ctioni consequendæ manus, animosq;
dedamus, ut Decretis tam sanctis, mo-
res nostros conformemus, ut ad horū
normam, vitam effingamus. In hūc fi-
nem hic labor susceptꝰ est. Precor ego
Cœlites interim ut Divinam nobis om-
nibus gratiā concilient, & Sanctionum
tam salutariū observātiam imprimant.

Vestrum omnium

in Christo Servus

Fr: Ioannes Kery.

AD LECTOREM.

DUm Opusculum hoc evulgo, non existima me à Sacrosanctis Apostolicæ Sedis legibus, vel latum unguem recedere velle. Ita enim affectus animo sum, ut malim opera mea universa, hactenus edita, & fortasse in futurum edenda, manu propriâ in ignem abijcere, quàm ut ijs insit quidpiam, quod Sedis illius honori, vel voluntati repugnet, pro cuius dignitate tuenda, vitam ipsam profundere non vereor.

Nolim igitur Decreta hæc Sanctæ Sedis authoritate edita, declarare, interpretativè juridicè, quod prohiberi me non latet, nec Resolutiones has majus pondus obtinere, aut plus fidei, quàm Libri obtineant, à quibus eæ deprompta sunt. Quæcunque hic afferuntur, purè doctrinalia sunt qualiter Constitutiones etiam Pontificias exornare, nullâ sententiâ vetitum legi.

Sed altiùs id explicandum est, & scrupulus omnis, qui quorundam animos stimulare posset, ac pungere, penitus evellendus.

Ergo Declaratio, interpretatio, &c. duplex est. Iuridica una, necessaria, & obligans ad sui observantiam, quæ non minorem vim habet, quam Constitutio ipsa. Et hæc in dubietatibus circa leges Pontificias ortis, ad Pontificem pertinet. Cap: Cùm venissent de

judic:

judic: 2. Cap: Venerabilem, qui filij sint legitimi. *Altera interpretatio, declaratio, &c. est non* necessaria, *nec* juridica, *aut* publica, *sed* privata, *non* obligans doctrinalis *tantùm, & cui plùs aut minus defertur, juxta declarantis, ac interpretantis authoritatem. Et hoc modo posse* DD. *omnes leges interpretari, & declarare, &c. docent.* Sà in aphorismis *verbo* Interpretatio n. 5. Barbosa in prologo suarum Remissionum in Concilium *alios adducens.* Salas de Legibus Disp: 21. sect: 2. Reginal: Lib: 20. praxis n. 52. *versu* Adverte verò. Rodriq: Tom: 1. quæst: Regul: quæst, 11. a. 5. Panormit: in cap. Inter alia de sent: excom: n. 2. Miranda Tom: 2. Manual: Prælat: q. 7. a. 8. *Quo pacto licet prohibitum sit Decreta* Concilij Tridentini *interpretari, interpretantur tamen, & declarant quotididie* DD.

Quam doctrinam extendunt prætacti DD. *etiam ad casum, in quo Princeps dicat:* Nemini liceat hanc paginam nostram aliter interpretari. *Nam tunc solùm prohibentur interpretationes frivolæ, & quæ sunt contra mentem planè ipsius, neque juri, neque rationi innixæ, ut docent præcitati* DD. *& suffragantur* Probus in cap: Exijt de verb: signif: in 6. n. 1. Penna L. unica, C. de Profess: qui in Urbe Conft: Lib: 12. C. 4. & 6.

Sunt mihi deinde præ manibus Lezana Sacræ Congregationis Iudicis quondam Consultor, & in sapientia Romana publicus Lector, cuius opera primùm Romæ typis data sunt. Bordonus sancti Officij Consultor, Peyrinis Ord: Sancti Francisci de Paula. in Provincia Genuensi Vicarius Generalis, & Sanctissimæ Inquisitionis contra hæreticam pravitatem Vicarius, Franciscus Pellizarius, qui in suo manuali Regularium difficultates in Religionibus occurrentes, sapientissimè discutit. Ascanius Tamburinius de Iure Abbatum. qui omnes, (ut cæteros prætercam) Decreta Pontificia Commentarijs, Annotationibus, &c. explicuerunt.

Imò Lezana teste Tom: 1. cap: 6. n. 97. doctrinalem interpretationem, seu declarationem, &c. Constitutionibus Pontificijs adhiberi posse, communis DD. est opinio.

Quanquam si hoc etiam in genere inscius hallucinor, si quid hîc scriptum, non satis Apostolicæ sedis definitionibus consentaneum, Testificor, id me ipsum repudiare, ac damnare, utpote qui mori millies malim, quàm in sacræ sedis illius auctoritatem vel levissime peccare.

IN-

INDEX

Decretorum Sacræ Sedis Apostolicæ, à Regularibus quotannis certis temporibus legendorum.

Constitutio Clementis VIII. De largitione munerum, una cum ejus confirmatione facta ab Urbano VIII. sub pœna privationis officij, vocisq; activæ & passivæ, ipso jure incurrendis, mense Ianuario legenda.

Decreta S. Congregationis Concilij S. D. N. Vrbani Divinâ Providentiâ Papæ VIII. auctoritate edita De Celebratione Missarum sub pœna privationis officij ac vocis activæ & passivæ, ipso facto incurrendis, legenda sexto quoque mense id est feria 2. post primã Dominicam Adventûs, & Feria 6. post Octavam Corporis Christi Cum Declarationibus aliquor Sac. Concilij S. D. N. Urbani Papæ VIII. auctoritate editis super Decretis ejusdem Congregationis de celebratione Missarum. n. ~~6~~ 61.

Decretum S. D. N. Papæ Urbani VIII. Feria 5. die 14. Aprilis 1633. editum de observantia Constitutionum Apostolicarum, ac Decretorum pertinentium ad S. Officium, sub pœna privationis officij, & vocis activæ, ac passivæ, ipso facto, alijsq; pœnis arbitrio suæ Sanctitatis, legendum Feria 6. post Octavam Assumptionis B. Mariæ.

Decre-

n. 133.

Decreta Sacræ Congregationis Concilij S. D. N. Urbani VIII. jussu edita, de Regularibus Apostatis & Ejectis sub pœna privationis omnium officiorum, vocisque activæ ac passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, bis in anno legenda, die â Superiore præscribenda. f. 279.

Decreta Clementis VIII. de Reformatione Regularium, sub pœna privationis omnium officiorum, vocisque activæ & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda; bis in anno legenda, diebus à Superiore designandis. f. 325.

Decreta Clementis VIII. de Receptione Professione, ac Institutione Novitiorum sub pœnis ut supra, bis in anno legenda, diebus à Superiore designandis.

f. 402.



CON-

CONSTITUTIO CLEMENTIS VIII.

DE LARGITIONE MUNERUM,

Unà cum ejus confirmatione facta ab Urbano VIII. *sub pœna privationis officij, vocisq; activæ & passivæ, ipso jure incurrendis, Mense Ianuario legenda.*

RELigiosæ Congregationes, ab insigni sanctitate viris Spiritus Sancti afflatu institutæ, tantas Ecclesiæ Dei utilitates omni tempore attulerunt, ut ad eas conservandas, & instaurandas Roman. Pontifices prædecessores nostri, magnam jure optimo diligentiam semper adhibuerint: nam cum ea sit rerum humanarum conditio, & natura; ut etiam, quæ optime fundata, & constituta sunt, partim ho-

 minum

minum imbecillitate, & ad malū pro-
clivitate, partim dæmonis aſtutia, pau-
latim deficiant, ac niſi cura pervigili
ſuſtententur, in deteriùs prolabantur;
idcircò Summorum Pontificū vigi-
lantia, magnopere laboravit, ut Re-
gularium Ordinum diſciplina, aut la-
befactata in priſtinum reſtitueretur,
aut ſalutaribus Conſtitutionibus com-
munita, integra atque incolumis per-
maneret. Quorum Nos veſtigijs pro
eodem Officij munere inſiſtere, & Pa-
ſtoralē illorum ſollicitudinem (quan-
tum poſſumus) Divina adiutrice gra-
tia, cupimus imitari. Quare ne ex mu-
neribus, quæ à pluribus Religioſæ vi-
tæ profeſſoribus, ex Chriſti patrimo-
nio, quibuſvis hominibus quavis ex
cauſa ſæpe tribuūtur; gravia incom-
moda, & mala, etiam boni ſpecie exi-
ſtant, præcavere ſtudentes, hac noſtrâ
perpetuò valitura Conſtitutione uni-
verſis, & ſingulis cuiuſcunque Ordinis
mendicantium, vel non mendicanti-
um;

um bona immobilia, & reditus certos ex indulto Apoſtolico poſſidentium, vel non poſſidentium, ſeu cuiuſvis Congregationis, Societatis, & inſtituti (non tamen Militiæ) Regularibus perſonis utriuslibet ſexus omnem, & quamcunque largitionem, & miſſionem munerum penitus interdicimus. Sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia, & ſingula Capitula, Conventus, & Congregationes, tam ſingulorum Conventuum, Monaſteriorum, Prioratuum, præpoſiturarum, Præceptoriarum, domorũ, & locorum, quàm Provincialia, aut Generalia cuiuslibet Provinciæ, ſive univerſi Ordinis, Societatis, aut inſtituti: eorumque vel earum Camerarios, Commiſſarios, & quoſcunque Officiales, & ſingulares Perſonas: ipſos etiam Ordinũ, Congregationũ, & Societatum huiuſmodi Superiores quaſcunque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Provinciales, Magiſtros,

Miniſtros, & quocunque nomine Præfectos nec non Conventuum, Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, domorum, & locorum quorumcunq; Abbates, Priores, Præpoſitos, Præceptores, etiam maiores, Guardianos, Miniſtros, Rectores, atque Abbatiſſas, Prioriſſas, & alio quovis titulo Præſidentes, tam ipſis Regularibus, quàm locorum Ordinarijs, ſeu quibuſvis Superioribus ſubiectas utriuslibet ſexus ad vitam, vel ad tempus deputatos: adeò, ut nemò unquam eorum, vel earum directe, vel indirecte, palam, vel occulte, tam communi, quàm particulari, & proprio nomine, etiam ſub quovis Statuti, vel conſuetudinis, ſeu veriùs corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacunque cauſa niſi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregat: re mature diſcuſſa unanimi conſenſu omnium, Superiorumq; permiſſu cauſa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.

Id autem ita abſolute, & generatim vetitum intelligatur, ut neq́; omninò fas ſit quicquam donare, tam ex fructibus, reditibus, & proventibus, collectis, vel contributionibus, aut oblationibus, ſive eleemoſynis, aut ſubſidijs certis, vel incertis, ordinarijs, ſeu extraordinarijs, menſæ, ſeu maſſæ communis, vel cuiuſvis Fabricæ, & Sacriſtiæ, quorum bona communiter, ut præfertur, adminiſtrantur, ſeu quæ rationibus reddendis ſunt obnoxia, quâm ex pecunijs etiam, quæ à ſingulis quovis modo acquiſitæ in cõmune conferendæ omninò ſunt. Nec ſi per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur. Nec ſi forſan privatim, & nominatim cuilibet Religioſo à ſuis Superioribus, vel à proprijs affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut benevolis, vel à pijs Chriſti fidelibus, etiam eleemoſynæ, aut charitatis, & illius propriæ perſonæ intuitu attributæ, ſeu

quoquomodo per quemlibet Religioſum ſuo Monaſterio, Domui, aut loco acquiſitæ, eique ut ad libitum de eis diſponant per Superiores conceſſæ fuerint: præterquàm leviora eſculenta, aut poculenta, ſeu ad devotionem, vel Religionem pertinentia munuſcula communi tantum, nunquam verò particulari nomine (ubi Superiori de conſenſu Cõventus videbitur) tradenda.

Sed & huiuſmodi miſſiones munerum ipſis Religioſis utriuslibet ſexûs non ſolùm per ſe, verùm etiam per alios, tàm directè, quam indirectè, prohibitas declaramus.

Neque verò quiſpiam ab hac generali prohibitione ſe excuſare valeat, etiamſi munera miſerit, cuivis perſonæ Laicæ, vel Eccleſiaſticæ cuiuscunque ſtatus, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quavis non ſolùm mundana, & Ducali, Regia, Imperiali, verùm etiam Eccleſiaſtica, &

Ponti-

Pontificali, aut alia maiori, etiam S. R. Ecclesiæ Cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio Loci ordinario, etiam ex causa, & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus Regularis, tonsionis, aut Professionis Monialium, tàm sibi subditarum, quàm non subditarum, aut ipsi etiam proprio Ordinis, vel Congregationis Protectori, Vice-Protectori, Generali, vel Provinciali, aut cuiusvis Monasterij, Prioratus, domus, aut cuiuslibet alterius loci Regularis Superiori, aut alio quocunque officio, munere, aut dignitate fulgenti, vel cuicunque etiam simplici, & particulari Religioso. Ita ut inter ipsos quoque Religiosos (ne prava ambitione impulsi pro consequendis in sua Religione gradibus, & dignitatibus alter alterius gratiam, aut benevolentiam aucupetur) quæcunque largitio, aut donatio munerum (nisi rerum minutarum, de licentia expressa, & in scriptis Superiorum) sit penitus interdicta. In

Inſuper prohibemus, ne unquam eiſdem Regularibus liceat ullas pecunias quoquomodo erogare in alicuius etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarij honorem, etiam occaſione tranſitus, vel primi ingreſſus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratiq́ue animi teſtificationem, ſeu pro prædictis perſonis quavis auctoritate, vel dignitate fulgentibus honorifice laute, & oppipare excipiendis, ſeu pro quibuſvis convivijs eiſdem, aut cuivis alteri quacunq́ue occaſione, vel cauſâ exhibendis, vel pro commeſſationibus, aut compotationibus, quibusvis perſonis, tâm eiuſdem Ordinis, Congregationis, Monaſterij, domus aut loci, quâm extraneis largiendis, aut pro exhibendis ſpectaculis, etiam pijs, intra Eccleſias, Monaſteria, & domos ſacras, ſeu pias, vel extra eas, in quibusvis publicis, aut privatis, ſacris, aut profanis locis, etiam ubi Sanctorum, & San-

ctarum

ctarum vita, aut res pie gestæ, etiam in memoriam Passionis Dominicæ populis spectandæ proponuntur, aut alias in prædictis, sive in quibusvis rebus supervacaneis, ad pompam, & ostentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & privata commoda quomodolibet pertinentibus, nisi re ipsâ pro Divino cultu, & veris Christi pauperum indigentijs, servato in hoc charitatis ordine, & habita necessitatis ratione de consilio, & consensu Superiorum sublevandis, aut alias in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Provinciale non prohibitis, vel taxam ibi forsan præscriptam non excedentibus, sumptus huiusmodi fiant.

Declarantes tamen per hæc laudabilem & Apostolica doctrina, sacrisque Canonibus commendatam hospitalitatem præsertim erga pauperes & peregrinos, nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimo si qui reditus ad

 id, vel

id, vel ex fundatione, vel ex inſtitutis, ſtatutis, aut conſuetudinibus aliquorum Monaſteriorum, ordinum, aut regularium huiuſmodi locorum, aut ex teſtatorum, vel donantium voluntatibus, ſive aliàs applicati, aut donati ſunt, eos omnino (ut decet) integre in uſus pios hoſpitalitatis huiuſmodi erogandos eſſe; & præſertim in Monaſterijs, ſeu locis deſertis, & ab Laicorum ædibus longiùs remotis, ubi tamen pauperum, & vere egenorum ratio inprimis habeatur.

Si quos verò ditiores occaſione tranſitus, ſive alias ex devotionis aut neceſſitatis cauſa eò divertere contigerit, eos ſane deceret Refectorio cõmuni cum Religioſis; menſaque & ferculis communibus, nequaquam à cæteris diſtinctis contentos eſſe. Verùm omnino ipſi Regulares in hoſpitibus huiuſmodi potentioribus excipiendis ita ſe gerant, ut in eis frugalitas, & paupertas religioſa prorſus eluceat.

Pari etiam ratione districte inhibemus, ne quispiam ex prædictis, Laicus aliàs, quàm ut superiùs dictum est, vel Clericus sæcularis, vel regularis quocunque honore, præeminentia, nobilitate, aut excellentia etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate præditus etiam Protector, Viceprotector, loci Ordinarius, Prælatus Generalis, Provincialis, aut Monasterij, Domus, vel loci cuiuslibet superior, eorumve affines, propinqui, familiares, aut Ministri utriuslibet sexus, quicquam contra hanc superiùs expressam prohibitionem recipiant.

Quod si, uel ab aliquo particulari Religioso, vel à superiore quopiam, Generali, Provinciale, aut alio quocunque officio fungente, aut a Conventu, Capitulo vel Congregatione; sive ab universo ordine & Religione quicquam receperint; id quod acceperint, suum non faciant. Verùm ipso facto absque aliqua monitione, Iu-

dicis decreto, ſententia, aut declaratione ad illius reſtitutionem omnino in utroque foro teneantur: adeo ut reſtitutione ipſa realiter non facta, neque etiam in foro conſcientiæ abſolvi poſſint.

Hanc autem reſtitutionem fieri volumus non privatim ei Religioſo, qui donavit, ſed ei Monaſterio, Domui, vel alteri loco, de cuius bonis facta eſt largitio, vel ſi non de eius bonis donatum eſt, in quo idem Religioſus donans profeſſionem emiſit, vel ſi nomine totius Capituli, aut Congreg: vel univerſi Ordinis, ſeu Religionis donatio facta extiterit; pariter communi menſæ, aut maſſæ, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera reſtituantur, ita ut necqui donavit, nec Conventus, Capitulum, Congreg: Ordo, aut Religio, cui reſtitutio facienda eſt, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione reſtituendi eximere, vel ut in

paupe-

pauperes eroget concedere, quoquo-
modo poſſit.

Quod ſi quis ex ſupradictis Regu-
laribus utriuslibet ſexûs, cuiuscun-
que gradus, ordinis, dignitatis, ac
ubilibet locorum exiſtentibus, con-
iunctim cum cæteris, ſeu diviſim, no-
ſtrarum huiuſmodi prohibitionum,
ſtatutorum, ordinationum, juſſionum,
decretorum, mandatorum tranſgreſ-
ſor fuerit, ſtatuimus, ut omnibus, &
ſingulis per eum obtentis dignitati-
bus, gradibus, muneribus, & officijs
eo ipſo privatus, ac ad illa & alia ſimi-
lia, vel diſſimilia in futurum obtinen-
da, inhabilis perpetuò, & incapax, ac
perpetua infamia, & ignominia nota-
tus exiſtat. Et præterea privationem
vocis activæ, & paſſivæ abſq; ullo
Superioris decreto, aut miniſterio,
ipſo facto incurrat, nec non ultra hu-
iuſmodi pœnas, etiam tanquam con-
tra furti, & ſimoniæ criminum reum,
tam per viam denunciationis, accu-

ſationis, aut querelæ quàm etiam ex officio procedi, & inquiri, condignisſque ſupplicijs affici debeat.

Pœnis alijs à jure ſtatutis ac per alias Conſtitutiones Apoſtolicas, aut propria cuiusvis Ordinis, Congregationis, Monaſterij, aut loci, ſtatuta, vel conſuetudines contra perſonas aliquid præmiſſorum committentes forſan decretis, & inflictis, nihilominus in ſuo robore permanſuris.

Quocirca univerſis, & ſingulis modernis, & pro tempore exiſtentibus locorum ordinarijs, eorumq; Vicarijs, & Officialibus, nec non quorumcunque Ordinum, Prioratuum, Monaſteriorum, & domorum Superioribus, etiam Generalibus, ſeu Provincialibus, cæteriſque ad quos ſpectat, per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenus ipſi, & eorum ſinguli, quantum ad eos pertinet, curent omni ſtudio, diligentia, auctoritate; & vigilantia præſentem Conſtitutionem firmiter, & invi-

& inviolate obſervari, & contra in obedientes, vel tranſgreſſores condignis pœnis animadverti. Eosdem inobedientes, nec non contradictores quoslibet, & rebelles per opportuna juris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis.

Non obſtantibus Cõſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictorumque Monaſteriorum, Prioratuum, Domorum, Locorum nec non Ordinum, Congregationum, Collegiorũ, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus: privilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta effectus præſentis noſtræ Conſtitutionis impediri quomodolibet valeat, vel differri, & de quibus quorumque totis te-

tis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Quæ omnia quatenus præmiſſis in aliquo adverſẽtur, prorſus tollimus, & abrogamus; cæteriſq́ue contrarijs quibuſcunq́ue.

Volumus autem, ut præſentes literæ in valuis S. Io: Lateranen: & Principipis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ publicentur affixis inibi earum exemplis, & dimiſſis. Quodque earum exempla, ſeu illorum compendia in libris quorumcunq́ue Statutorum prædictorum Monaſteriorũ, Prioratuum, Collegiorum, Domorum, Ordinum & Congregationum (quoad Moniales, in vernaculum, & vulgarem cuiuſque Regionis ſermonem verſa) & à loci ordinario, qui id quamprimùm fieri curet, ſubſcripta inſerantur; & ſaltem quotannis in Capitulis, ſive Cõgregationibus cuiuſq́ue earum alta, & intelligibili voce legantur. Et nihilominus poſt ſexaginta dies à die pu-

blicati-

blicationis (ut præfertur) in Rom: Curia facienda unumquemque citra montes: ultra montes verò post quatuor menses, perinde arctent, & afficiant, ac si cuique personaliter intimatæ, & per eos juratæ fuissent.

Quodque earum transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, statuti, mandati, sublationis, abrogationis, & volnntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat: Ro-

mæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, Tertio decimo Kalend: Iulij, Pontificatus nostri anno tertio.

S. D. N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII. Confirmatio declarationis Cõstitutionis Clementis Papæ VIII.

DE

LARGITIONE MUNERUM REGULARIBUS UTRIUSQUE SEXUS INTERDICTA.

NUper à Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, coram dilecto filio nostro Antonio tituli S. Petri ad Vincula, Presbytero Cardinali S. Onuphrij nuncupato, maiori Pœnitentiario ac nostro in alma Urbe Provicario in spiritualibus generali, & nostro secundùm carnem fratre germano, à Nobis deputata emanuit declaratio tenoris subse-

ſubſequentis, videlicet: Cum circa interpretationem Conſtitutionis fel: rec: Clementis VIII. ſub dat: 13. kal: Iulij, Pontificatùs ſui anni III. de Largitione munerum, Regularibus utriuſque ſexûs interdicta, nonnullæ difficultates, & ambiguitatates, ſint exortæ; Congregatio ſpecialiter á Sanctiſſimo D. N. Urbano Divina Providentia Papa VIII. coram Eminentiſſimo Card: S. Onuphrij maiori Pœnitẽtiario, ac Urbis Provicario deputata, auctoritate ſibi attributa declaravit, & declarat, munera à Religioſis utriuſq; ſexûs tribui poſſe, ex cauſis gratitudinis conciliationis benevolentiæ, eiuſque conſervationis erga ipſam Religionem, vel Conventum, alijſve cauſis ex ſui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modeſte tamen, ac diſcrete & dummodo id non fiat, niſi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum conſenſu maioris partis Conventûs, ſi talis conſenſus de jure,

 vel ex

vel ex constitutionibus, seu consuetudinibus cuiusque Religionis respective, in huiusmodi casibus requiratur. Consensum verò Conventûs in §. 3. eiusdem Constitutionis ad leviora esculenta aut poculenta, seu ad devotionem, & religiositatem pertinentia, munuscula largienda &c requisitum intelligi debere de consensu alias de jure requisito, & ubi concurrit ambitionis suspicio, qua cessante, nec in his requiri licentiam Superiorum in scriptis in §. 4. eiusdem bullæ requisitam, sed sufficere licentiam, etiam oretenus eisdem concessam, declarat. Commessationes autem, compotationes, & convivia in excipiēdis præsertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinarijs honorifice, & laute, de quibus in §. 5. & 6. eiusdem Cōstitutionis, censeri tantummodo prohibita, si decentiæ status Regularis adversentur. Restitutionem verò receptorum Conventibus fa-

bus faciendam, de qua in §. 7. ibidem cautum eſt, intelligi debere de Conventibus, ad quos data, donata-ſeu miſſa de jure pertinent, ſi id commode fieri poteſt, alias Cōventui eiuſdem Religionis viciniori loco, ubi petita fuit abſolutio, reſtituantur. Inſuper eadem facultate ſibi tributa, omnes, qui hucuſque adverſus ſupradict: Conſtitutiones, Capitula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt, à pœnis quibuſcunque in eadem conſtitutione inflictis, & incurſis poſſe, & debere à proprijs Confeſſarijs abſolvi in foro conſcientiæ, etiam non facta priùs huiuſmodi rerum donatarum, ſeu datarum reſtitutione. Quoad eos verò, qui præter modum prædictum graviori Religionis detrimento largiendo, vel recipiendo tranſgreſſi ſunt, ſed ob inopiam reſtituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit maiori Pœnitentiario, vel de præteritis uſque ad diem da-

tæ præſentium, in foro conſcientiæ abſolvat, diſpenſet, & condonet., ſeu abſolvi, diſpenſari, & condonari mandet, prout in Domino magis expedire iudicaverit. Et ne prædictæ Clementis VIII. Conſtitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cuiuſcunque Monaſterij, Conventûs, Domûs, ac Collegij Regularis, ſub pœna privationis officij, vociſque activæ, & paſſivæ ipſo jure incurrendæ, efficere teneantur, ut in perpetuum ſingulis annis menſe Ianuario, non ſolum prædicta Conſtitutio (quam in reliquis eius partibus eadem Sanctitas omninò obſervare jubet, & quatenus opus ſit, innovat, quemcunque prætenſum non uſum, aut prætenſum uſum, ſeu prætenſam conſuetudinem damnando, & irritando) verùm etiam hoc Decretum in aliqua publica Congregatione, vel ſaltem in publica menſa perlegantur. Omnibus, tàm Eccleſiaſticis perſonis etiam Regularibus,

ribus, quàm Laicis cuiuſcunque ſint Ordinis, cõditionis gradús, ac dignitatis, etiam ſpeciali nota dignis, & qui ſub generali diſpoſitione non comprehenderentur, prædictam Clementis Conſtitutionẽ cõtra præſentis Decreti tenorem declarandi, vel interpretandi, facultate penitùs interdicta, ſuper quibus Sanctiſſimus mandavit expediri Breve. Datum Romæ die 25. Septembris, 1640. Quapropter, ut præmiſſa firmiùs ſubſiſtant, & inviolabiliter obſerventur, quantùm cum Domino poſſumus, providere volentes: Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deq́ue Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, declarationem præinſertam cum omnibus, & ſingulis in ea contentis, tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illiſq́ue inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tàm juris, quàm facti defectus, ſi qui de-

ſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, aliaque inviolabiliter ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, obſervari, ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & quoſvis alios quacunq; auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debet: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attẽtari, decernimus. Non obſtantibus quoad ea, quæ declarationi prædictæ, & præſentibus ſunt contraria, vel diverſa, Conſtitutione fel: rec. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri prædicti, ac omnibus illis, quæ idem Clemens in Conſtitutione huiuſmodi voluit non obſtare,

cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die, 16. Octobris, 1640. Pontificatûs noſtri Anno decimo octavo.

DUBITATIONES
Ad Hoc Decretum.

QUæres 1. Ad quoſnam Superiores ſpectet hanc conſtitutionem legi facere? Reſpondeo, ſpectare in conventibus ad Superiores locales. Probatur: Quia lex reſpicit communiter contingentia, omiſſio autem lectionis præfatæ communiter accidit ex defectu Prælati localis, qui in ſuo Conventu ſemper degit, Generali ac Provinciali modò ad hoc, modò ad illud monaſterium abeuntibus. Et hoc clariùs exprimitur in Decretis de celebratione miſſarum, dum in illis dicitur, quòd Superiores locales procurare debeant, ut ea in publica menſa perlegantur.

Et hoc procedit in casu, quo Prior eo tempore, quo fieri debet ea lectio, sit alibi, & Supprior dictam lectionem intermittat. Cùm enim hic tunc temporis succedat in Iurisdictionem Prioris, fiatque immeditam habens gubernationem Conventûs, ad eum spectat talem lectionem facere, & si omittat, præfatas pænas incurret.

Quæres 2. An præsens prohibitio obliget sub peccato mortali? Respondeò obligare, nisi parvitas materiæ excuset. Et probatur tùm ex gravitate pœnarum, quæ apponuntur huic prohibitioni, tùm ex qualitate verborum, quibus ipsa prohibitio proponitur; tùm ex materia prohibitionis, quæ cùm concernat votum paupertatis, utique est gravis.

Sufficit autem ad peccandum mortaliter contra præsentem prohibitionem, ea quantitas, quæ requiritur ad mortaliter peccandum contra votum paupertatis. Quia conditiones

aggra-

aggravantes malitiam violationis voti paupertatis, omnes concurrunt etiam in violatione istius prohibitionis, nec est ulla ratio suadens, maiorem quantitatem requirendam esse in violatione huius prohibitionis, quàm requiratur in violatione voti paupertatis.

Quia autem prædictæ pœnæ rigidissimæ sunt, & pœna debet esse proportionata culpæ, ideò sine dubio non pro quacunque largitione, seu donatione munerum, etiam contra Bullam facta, illæ incurruntur. Quare Religiosus donans sine licentia rem eius valoris, quæ est sufficiens materia in furto ad peccandum mortaliter, & violandum graviter votum paupertatis, adhuc non incurret pœnas huius Bullæ, nisi donatio excedat duos aureos, idque ex declaratione ipsiusmet Clem: VIII. vivæ vocis oraculo facta P. Claudio Aquavivæ Soc: Iesu Generali, cuius declarationis ea forte

fuit

fuit ratio, quòd communiter ſumma duorum aureorum in jure dicatur ſumma *modica*, ut patet ex *L. ſi oleum 15. fin: juncta L. ſeq: ubi Gloſſa, ff. de dolo cum Felin: in c. Interfeciſti, de Homicid.* Cui taxæ videtur omninò ſtandum, niſi legitimus Superior aliud determinaverit.

Quæres 3. Cùm recipientes à Regulari munera iuxta diſpoſitiones Clem: VIII. teneantur ad reſtitutionem rei acceptæ, an præfata reſtitutio fieri debeat etiam ante ſententiam Iudicis? Et ratio dubitandi eſt, quòd talis reſtitutio videatur habere rationem pœnæ, pœna autem non debetur niſi poſt ſententiam. Reſpõdeo, debere fieri etiam ante ſententiam Iudicis. Patet, quia ita recipiens, ſuum non facit quod recipit, ut expreſſe habet Pontifex; quodſi autem ſuum non facit, quo quæſo titulo id retinere poteſt? ſi autem juſtũ non habet titulum retinendi, patet

eum

eum teneri reſtituere, & quidem ante omnem judicijs ſententiam, cùm iſta reſtitutio proprie non ſit pœna, quæ ad ſui executionem requirat ſententiam ſaltem declaratoriam criminis, ſed debitum procedens ex ipſo jure naturali; quod utique obligat ante iudicis ſententiam. Modò quis tamen abſque ſuo gravi damno, ac incommodo reſtituere poſſit, ſiquidem leges Eccleſiaſticæ benigne explicandæ ſunt.

Quæres 4. Quibus perſonis interdicatur hæc largitio? Reſpondeo. Cõſtitutio hæc cõprehendit omnes Regulares perſonas utriuſq; ſexûs. Non tamen Milites Regulares, ut patet ex contextu. Nec etiam eos, qui non emittunt tria vota ſubſtantialia Religionis, cùm hi revera non ſint Religioſi. Nec novitios, ob eandem rationem, (excipe Novitium profeſſum, qui translatus ad alium Ordinem ibi perageret Novitiatum, hic enim, cum

vere sit Religiosus ratione prioris Professionis, subiacet ipsi prohibitioni) nec Episcopos Religiosos, quia ipsi habent tam liberam administrationem bonorum sui Episcopatûs, quam alij Episcopi non Regulares, vide *Lezanam tom: 1. cap: 17. num: 5. & 6.* & alios. Nec eiectos, quamdiu manent extra Religionem, cùm præfata constitutio solùm prohibeat donationem eorum, quæ subsunt dispositioni Prælatorum Regularium, sicque ad eam requirente ipsorum licentiam, & consensum.

Qui verò prohibeantur recipere dona â Regularibus, ab ipso Pontifice exprimuntur, & quidem ij omnes meritò, cùm per ejusmodi donationes multi Regulares aliàs indigni sibi ostium aperiant ad gradus, honores, dignitates & officia Religionis, sicq; foveatur ambitio, & hinc multa alia, & gravissima mala procedant in Religionibus ut quotidiana docet experientia.

Quæ-

Quæres 5. An vi huius Bullæ prohibeantur Regulares donare partus ingenij, nimirum Lectiones, Conciones, & alia id genus? Respondeo, non prohiberi, licet aliàs plurimi æstimentur, & magno pretio vendi possint. Patet, tùm quia hîc solùm prohibetur largitio facta ex bonis Monasterij, eiusmodi autem partus ingenij non videantur cõnumerandi inter bona Monasterij, utpote qui sunt Religiosi particularis, ita ut communiter possit absque Superioris licentia secùm deferre, quocunque ierit, & quidem etiamsi transeat ad aliam Religionem, quod *Valerus* testatur factũ fuisse à quodam viro doctissimo se transferente ad Ordinem Carthusiensium; tùm quia teste *Corialano de Cas: reserv: p. 2. casu 16. num. 19.* ipsemet Clemens declaravit Religiosos sine contraventione huius Constitutionis posse inter se donare supradictos partus ingenij, cùm tamen

attinet

ſit eadem ratio, & quoad alios, quod attinet ad præfatam prohibitionem.

Quæres 6. An ſtante præſente prohibitione poſſint Regulares donare magnum numerum Miſſarum ad aucupandam benevolentiã Magnatùm, viam dignitatibus, honoribus, & gradibus ſibi aperiendam? Reſpondeo poſſe, ſi ſolas miſſas donent, non autem lucrum, quod inde ipſis proveniat. Ratio eſt, quia hîc solùm prohibetur donatio facta ex bonis Monaſterij, Miſſæ autem ut ſic (ſi alias non ſint obligatæ Monaſterio) non ſunt Monaſterij, ſed ipſorum Religioſorum, ac proinde de ijs libere poſſunt diſponere. Dixi: *ſi ſolum Miſſas donent*, ſi enim donent ſtipendium debitum pro illis Miſſis ſcientes ſtipendium dãdum eſſe illi, cui donant Miſſas, tunc violarent præſentem prohibitionem, cum ſic donent bonum temporale, quod eſt Monaſterij iuxta Regulam: *Id, quod Monachus acquirit, Monaſterio acquirit.*

Quæres 7. Utrum Religiosus acquirens aliquid ad propriũ usum, possit id, quod parce vivendo sibi detrahit, pio fine alijs donare? Respondet Beja affirmative, nam si illud potest in usus proprios convertere, multò magis in usus animæ. Unde infert, quòd quando Prælati reditus cõcedunt Magistris sui Ordinis, qui Cathedras in publicis Universitatibus legunt, posse illos de ijs, quæ parciùs, & religiosiùs vivendo supersunt sibi, consanguineis pauperibus subvenire.

Quæres 8. An prohibitione hac stante, possint Regulares facere donationes, si detur casus, quòd vi illarum non dissipentur bona Religionis, neque detur occasio ambitionis? Respondet Diana Resol: 33. cum Granado, & Megala, posse, cùm sic cesset finis præsentis prohibitionis, qui fuit tollere occasionem ambitionis, ac dilapidationis bonorum Monasterij, ut constat ex tenore Constituti-

 onis;

onis ; cessante autem fine legis etiam in particulari, cessat lex, ut tradunt multi Doctores apud eundem Dianam loco citato. Sed hæc Regula ampla satis est, & multis periculis exposita, & ex alia parte quæcunque donatio à Religioso facta, fit cum aliquali dilapidatione bonorum Religionis, cùm quæcunque Monachus acquirit, sint bona Religionis, fieri tamen potest ea largitio inter Religiosos invicem, si nullum subsit periculum ambitionis, cùm Pontificia prohibitio fundetur in præsumptione ambitionis ut colligitur ex illis verbis: *Ne prava ambitione impulsi*, hoc ipso autē quòd præsumptio deficit, prohibitio ampliùs non obligat, aliunde in eo casu, quicquid acquiritur, Religioni acquiritur.

Quæres 9. An vi istius prohibitionis tollatur quo minùs Religiosi possint facere donationes remuneratorias? Respondeo non tolli. Et ratio est,

eſt, quia hîc vetita eſt donatio, ſeu largitio munerum, donatio autem ea ſimpliciter dicitur, quæ fit pure, ac liberaliter, non item quæ fit ob cauſam, & dicitur donatio *antidoralis*. Confirmatur, nam aliàs tolleretur ex Religionib9 virtus gratitudinis, quod ſine dubio eſſet magnum inconveniens, nec ullo modo fuit intentum à Clemente; unde ſacra Congregatio in allegato decreto, declarans mentem Pontificis, ait, non obſtante ea Conſtitutione, munera â Religioſis utriuſque ſexûs tribui poſſe ex cauſis gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ &c.

Cavendum tamen eſt, ne donatio hæc nimis excedat merita, ſiquidem quâ parte excederet, eſſet donatio proprie ac ſtricte, & conſequenter caderet ſub ipſam prohibitionem. Ex quo patet, quid reſpondendum ſit ad verba Pontificis excludentia donati-

onem etiam, quæ fiat *ad beneficiorum acceptorum memoriam.*

Quæres 10. An Regulares vi iſtius conſtitutionis prohibeantur facere donationes ad redimendam vexationem, ut, cùm quis dat aliquid Advocato, ut lites habeant bonum finem &c. Reſpondeo non prohiberi, tum quia etiam in materia Simoniæ titulus redimendæ vexationis iniuſtæ excuſat à labe Simoniæ, ut colligitur *ex c. Dilecti, de Simonia.* Et ratio eſt, quia in tali caſu temporale traditur pro temporali, non pro ſpirituali, ipſa enim vexatio eſt temporale impedimentum, Simonia autem non committitur, dùm temporale traditur pro temporali, ergò magis excuſabit à tranſgreſſione in præſenti caſu, tùm quia, qui dat aliquid pro redimenda tali vexatione in jure ſibi iam acquiſito, vel in re, quam poſſidebat, dat illud pro conſervatione rei, quæ conſervatio jure

naturali

naturali eſt licita, ac proinde negari non poteſt per ius poſitivum.

Quæres II. Qualia convivia ſtantibus verbis adductis apparare poſſint Regulares caſu, quo perſonam aliquã primariam, ſive Eccleſiaſticam, ſive ſæcularem ad ipſos divertentem excepturi ſint? Reſpondeo, poſſe regulariter, qualia ipſa perſona excepta ſolet communiter habere in propria menſa, ſic enim ſervatur frugalitas in comparatione perſonarum, quæ invitantur, & exhibetur debita charitatis oſtenſio, ut proinde ſacra Congregatio in eo decreto dicat: Commeſſationes, compotationes & convivia cenſeri tantummodo prohibita, ſi decentiæ ſtatûs Regularis adverſentur. Quod videtur indicaſſe etiam Clemens in ſua Conſtitutione, dùm ait: Quod ſicut, ſi quos ditiores occaſione tranſitûs, ſive aliàs ex devotione, aut neceſſitatis causâ eò (ad Monaſteria Regularium) divertere

contigerit, deceret eos Refectorio communi cum Religiosis, mensâque & ferculis communibus nequaquam à cæteris distinctis contentos esse, ita ipsi Regulares in huiusmodi hospitibus potentioribus excipiendis se gerere debeant, ut in eis frugalitas & paupertas Religiosa semper eluceat. Utrum verò attentis juribus citatis, licitum sit Regularibus consultò invitare ad convivium eiusmodi personas? Respondet Bonacina de Largitione Munerum, p. 5. n. 6. negative. Et movetur ex ijs verbis, quæ habentur in Bulla Clementis: *Si Quos verò ditiores occasione transitûs, sive aliàs ex devotione, aut necessitate eò divertere contigerit*, ubi vides designari casus, in quibus dictæ personæ convivio excipi possunt à Regularibus.

Quæres 12. An Regulares violent hanc prohibitionem, si donationem aliquam insignem faciant Principi, ad au-

ad aucupandum eius favorem, ſed ei largiendo rem ab amico ipſis datam præciſe ad hunc effectum? Reſpondeo non violare, tum quia Religioſus in hoc caſu non facit donationem, ſed ille alius, qui rem donandam dedit, iuxta illud *qui per alium facit, per ſe ipſum feciſſe videtur*, ſicque Religioſus ſe habet ut merus executor. Tûm quia Bulla hæc ſolùm loquitur de bonis Monaſterij, in iſto autem caſu donatio non fit ex bonis Monaſterij, ſed amici, qui eam tradit. Tùm quia in iſto caſu Monaſterium non damnificatur, ſicque ceſſat finis huius prohibitionis.

Quæres 13. An Regularis violet hanc prohibitionem, & incurrat pœnas in in ea latas, ſi in caſu vetito faciat notabilem donationem, externe quidem ſub prætextu eleemoſynæ, ſed interne ad conciliandam benevolentiam donatarij, ſicque eius auxilio ad obtinendum id, quod intendit, verbi

verbi gratia Prælaturam? Respondeo violare quo ad forum conscientiæ; cùm vere faciat id, quod interdicitur in hac prohibitione, nempe donationem ex ambitione de bonis Monasterij, non tamen incurrit pænas. Nam ad incurrendam censuram, petitur actus, qui in ipso opere externo sit sufficiens ad peccatum mortale, in casu autem allato non habetur extrinsece malitia donationis indebitæ, sed ratio eleemosynæ.

Quæres 14. An violet hanc prohibitionem Religiosus, qui facit Amico donationem, sciens, se ab eo tantundem, imò plus accepturum esse? Respondeo non violare. Quia amico reddente tantundem, imò plùs, Monasterium non fit minùs habens, cessat ergò finis prohibitionis. Modò tamen non fiat donatio ex ambitione, tunc enim finis huius prohibitionis cessaret solùm inadæquate, adeóque non cessaret prohibitio.

Quæres 15. An & quomodo Visitatores à munerum receptione cavere debeant? Respondeo præscribi legem ab *Innocentio Papa IV. in c. Romana, §. Procuratores de Censibus in 6.* ubi dicitur: *Caveat Visitator, ne ipse, vel quisquam suorum aliquod munus quodcunque sit, & qualitercunque offeratur, præsumat recipere, ut non quæ sua sunt, videatur quærere, sed quæ IESU Christi.* Tandem contra illius Transgressores pœnam imponens ait: *Quodsi fuerit contra præsumptum, recipiens maledictionem incurrat, à qua nunquam nisi duplum restituat, liberetur.* Unde constat eos peccare mortaliter, nullus enim incurrit maledictionem, nisi per peccatum mortale. Et in *Trident: sess: 24. de refor: cap: 3.* habetur *Nec munus quodcunque sit, & qualitercunque offeratur, suscipiant. Non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili exceptis victualibus.* Similem le-

lem legem ſtatuit *Gregor: X. in Conci: Lugdunenſi*, ut habetur *in cap: Exigit de cenſibus in 6.* ubi plures ſtatuuntur pœnæ, quas omnes Concil: Trid: ubi ſupra, renovat & confirmat.

Cavendum quoque viſitatoribus eſt, ne nimis gravent Viſitatos in cibo & potu, petendo ab eis cibos delicatos, & pretioſa vina, ſed debent eſſe mediocritate contenti, ut advertit *Gloſſa in cap: Cum Apoſtolus, Verbo ſumptuoſè decens.* Videatur *Azor p. 2. lib: 3, c. 42.*

Verùm tamen eſt, quòd quando Prælatus Provinciam, vel Monaſterium viſitat, teneri viſitatos facere expenſas ad tales viſitationes conſuetas, & Viſitatori neceſſarias. Ita enim habetur *in c. Romana de Cenſ:* & *in cap: ſi Epiſcopus de Offic: Ordin: in 6.*

Quodſi tamen Prælatus Ordinarius, Generalis verbi gratiâ, aut Provincialis, haberet aliquos redditus ad hunc effectum viſitationis, tunc

viſitati

visitati non tenerentur providere Visitatori nisi de victualibus, id est, esu & potu pro Visitatore, eiusque familia, equis, &c. Cætera autem necessaria, ut equos, vestes, expensas pro itinere, pro dicto Visitatatore & Socijs, teneretur tribuere Generalis ipse, vel Provincialis, qui ad hunc effectũ habet dictos redditus. Habetur dicto *cap: Si Episcopus.*

Quæres 16. An excusentur Prælati illi, qui ex negligentia, vel inconsideratione prætermittunt legere, vel legi facere præfixo tempore hoc decretum] & sequentia? Respondeo in foro externo non excusari, unde dicit *Lezana, Tom*: 2. *Verbo lectio quoad Regulares, n. 10.* sepiùs se vidisse præfatos fuisse coactos ad subeundas pœnas in dictis Decretis designatas, & dispensationem in ipsis Romæ à Sede Apostolica postulâsse. Specialiter die 3. Augusti. eadem sacra Congregatio absolutionem dedit cuidam Priori, qui

ori qui neglexit facere legi Decretum *de celebratione Missarum*. Existimabat ergò Prælatum incurrisse in pœnas illius. Sunt tamen Prælati etiam quoad forum externum excusabiles, quoties propter aliquam rationabilem causam, aut impedimentum alicuius momenti id faciunt, quia cum pœnæ impositæ in dictis Decretis valde graves sint, non debent censeri incurrisse, nisi propter malitiam, dolum, negligentiam notabilem, aut dilationem, sine causa factam, & ita præsumendum de benignitate sac: Congregationum eas imponentium.

Illud certum, si omittatur ipsorum Decretorum lectio die præfixa, non propterea cessare ipsius obligationem, sed adimpleri debere, quamprimum fieri potest. Non enim ponitur terminus talium dierum ad finiendam obligationem, sed ne differatur. Neque enim pœnæ ibi statutæ sunt ad

canoni-

canonizandum diem illic præfixam; sed solùm ad obligationem inducendam lectionis dictarum Constitutionum, ne ullo unquam tempore in oblivionem, aut desuetudinem abeant, quod est finale motivum dictæ lectionis, unde si dicta statuta non legantur determinato die, legi debent die sequenti, & sic deinceps.

Quæres 17. An subditi teneantur monere Superiorem de dictis statutis legendis, & quo iure? Respondeo affirmative, ratione iustitiæ, ex eo quòd Prælatus, & Subditus debent eodem jure censeri. Prælatus autem ratione iustitiæ tenetur adiuvare subditũ suum quantum potest, ut egregie probat *Laurentius Peyrinis Tom: 2. quæst: 1.* Unde subditus scienter omittens monere Prælatum suum, ut die statuto legi faciat legenda Decreta, mortaliter peccat, propter grave damnũ, quod ex sua omissione malitiosa infert Prælato suo.

Quæres 18. Quid ſentiendum de prohibitione Regularibus, cæteriſque facta quoad munerum largitionem causâ obtinendi juſtitiam, aut gratiam apud Sedem Apoſtolicam ! Reſpondeo emanâſſe hanc Conſtitutionem à *Bonifacio VIII. in Extravaganti*, quæ incipit *Excommunicamus*, & poſtea, cùm (ut aliqui volunt) revocata eſſet à *Clemente V.* confirmata, & aucta fuit à *Gregorio XIII. Conſtitutione* 24. & demum à *Clemente VIII.* extenſa in Bulla, quæ incipit, *Pro Commiſſa nobis*, per quam Conſtitutionem Pontificiam excommunicantur quodquod pactum, vel promiſſionem faciunt de dando aliquid, vel qui dant quid ex pacto, vel promiſſione, vel acceptum pactum, vel promiſſum de dando aliquid, vel acceptam habent occulte, & manifeſte, donationem factam, ex pacto, vel promiſſione pro iuſtitia, vel gratia obtinenda ſive pro ſe ſive pro alio, in

causis,

causis, vel judicijs, vel aliâs per literas Apostolicas, & quibuslibet alijs modis apud Sedem Apostolicam. Unde actiones prohibitæ in ea constitutione, sunt pactio, vel promissio de dando aliquid, donatio ex pacto, vel promissione factæ post justitiam, vel gratiam obtentam: donatio facta ad obtinendam justitiam, vel gratiam etiam ex pacto, vel promissione: acceptatio pacti, vel promissionis, vel donationis pro iustitia, vel gratia obtinenda apud Sedem Apostolicam, promissio, vel pactio facta tertio interventuro, vel mediaturo in favorẽ eius, qui justitiam, vel gratiam est impetraturus, denique acceptatio prædictæ pactionis, vel promissionis, vel donationis.

Hæ actiones vetitæ erant in Extravagante Bonifacij, quibus addidit Gregorius alias sex actiones, quarum tres sunt Principales, & aliæ tres sunt accessoriæ. Prima actio Principalis,

eſt Nundinariorum, qui cupiditate lucri negotiorum expeditiones conquirunt nixi ſuffragationibus potentiorum. Secunda eſt actio eorum, qui ambiunt pollicitationibus, aut donis, ut pro ſe, vel pro alio gratiam, aut juſtitiam obtineant apud Sedem Apoſtolicam. Tertia eſt eorum, qui mentiendo confingunt ſe dediſſe pretium, aut munera pro opera præſtāda, vel præſtita ab ijs, qui gratia valent apud eum, qui eſt conceſſurus gratiam, vel juſtitiam. Denique actiones acceſſoriæ additæ à *Gregorio XIII.* ſunt; prima, auxiliari; ſecunda, conſulere; tertia, favere in aliqua ex præcedentibus actionibus contentis in Bulla *Bonifacij*, *&* *Bulla Gregorij*.

Imponuntur autem in eiuſmodi Cōſtitutionibus plures pœnæ. 1. Excommunicatio ipſo facto. 2. Iuſtitia, vel gratia contra conſtitutionem impetrata eſt irrita & nulla. 3. Quidquid accipitur, reſtituendum eſt Pau-

peribus,

peribus, nec absolvi quis potest, nisi restituat. 4. Utens gratia, vel iustitia sic obtenta est ipso facto excõmunicatus. 5. Privatio omnis beneficij Ecclesiastici, & omnis officij sive Ecclesiastici Sæcularis, perpetui, & tẽporalis. 6. Infamia. 7. Inhabilitas ad quævis officia obtinenda. 8. Sciens delictum contra hanc Constitutionem commissum, nec denuntians intra triduum, ipso facto est excommunicatus.

Non comprehendũtur sub hac prohibitione Cardinales, cum enim hi sunt personæ spectatissimæ notâ dignæ non censentur comprehendi in odiosis, nisi exprimantur, præsertim quia Pontifices, dum in suis Constitutionibus eos comprehendere intendunt, addere solent, illa verba: *Cuiuscunque dignitatis, gradus, aut præeminentiæ*, quæ in Constitutionibus *Bonifacij, & Gregorij* non sunt. Idem dici potest de Episcopis fere rationem, &

quia ipsi *cap: periculosum, de sentent: Excommunicat in 6.* excluduntur à generalibus sententijs suspensionis, & interdicti, nisi exprimantur. Hoc tamen intellige de Constitutionibus *Bonifacij, & Gregorij*, non de illa *Clementis VIII*, ubi pœnas dictarum Constitutionum extendit, ad *personas etiã speciali nota dignas*, quibus haud dubie Cardinales, & Episcopi designantur. Adde opinionem dictæ prohibitioni Cardinales, & Episcopos subijcientẽ probabiliorem esse, & *Bonacina* teste *de Censur: in partic: disput: 2. q. 3. n. 1:* usu pœnitentiariæ comprobatam. Cuius ratio fortassis est quod & ipsi sint Clerici, & quia lex generalis omnes ligat, *cap: 1. de Constitut:*

Neque subiacet dictis pœnis quo ad DEUM, qui ad obtinendam gratiam, aut justitiam ficte promittit habens animum non implendi promissionem, cùm promissio ficta vere non

sit pro-

ſit promiſſio, & alias iuxta Doctores ad incurrendam cenſuram requiratur actus completus, præterquam quòd ſumus in materia pœnali, quæ ampliari non debet. Confirmatur ex *Caietano, Soto, Toleto, Leſsio, &c.* docentibus non eſſe Simoniacum illum, qui pro beneficio Eccleſiaſtico aliquid temporale promittit animo non ſolvendi. Sic tamen ficte promittens peccat graviter, nam eatenus proximum ad peccandum inducit. Dixi, *quoad DEUM*, quia in foro externo non excuſatur, cùm in eo conſtet de illius promiſſione, non item de fictione: & quilibet præſumatur loqui, quod habet in corde.

Excuſatur etiam ab his pœnis, qui ad obtinendam gratiam, vel juſtitiam iniuſte denegatam, dat. Cûm hoc non ſit dare ſimpliciter pro gratia, aut iuſtitia obtinenda, ſed potiùs ad redimendam iniuſtam vexationem, quod eſſe licitum dixi *q. 1.*

Excuſatur etiam qui ad obtinendam gratiam, vel juſtitiam dat Miniſtris Papæ moraliter certus id ipſum eſſe gratum Papæ ; nam in tali caſu cenſetur Papa diſpenſare in hac prohibitione, aut illam abrogare quo ad eam partem.

Non etiam contrahit has pœnas ; qui ad obtinendam iuſtitiam, aut gratiam dat promittenti ſe maiori diligentia, ac induſtria procuraturum expeditionem gratiæ, dummodò non detur plus quàm illa mereatur maior diligentia ac induſtria, quæ adhibetur. Ratio eſt, quòd hæc donatio non fit pro obtinenda gratia, ſed pro maiori diligentia & induſtria, quæ adhibetur. Unde nec illas incurrit propter eandem rationem, qui ob merâ liberalitatem, & benevolentiam ſine ullo reſpectu ad gratiam, vel juſtitiam obtinendam quidpiam dederit. Nec qui dat ad recompenſandum aliquod damnum, quod Procurator, aut

Solli-

Sollicitator paſſus eſt ultra id, quod
tenebatur.

Exiſtimo etiam his pœnis non affi-
ci eum, qui dat ad obtinendam gra-
tiam, quam aliâs omninò erat obten-
turus. Et ſuadetur. Quia in tali
caſu ceſſat finis huius prohibitionis,
qui eſt, ut tollatur habendi cupiditas
ut non corrumpatur Princeps, ut non
committatur iniuſtitia; ceſſante au-
tem cauſa finali ceſſat diſpoſitio *cap:
Cum ceſſante de appellat.*

Sed nec ijs pœnis ſubijcitur qui
dat bona fide ad obtinendam gratiam
&c. ignorans talem dationem prohi-
beri. Pœna enim eſt menſura deli-
cti, *L. ſancinus, ff. de pœnis*, & alio-
quin bona fides excuſat á delicto: un-
de & excuſari debet à pæna maxime ſi
graviſſima ſit, cuiuſmodi ſunt eæ, de
quibus hîc agitur. Præterquam quòd
in *Extravagante Gregorij XIII.* præ-
ſupponitur audacia, ſeu præſumptio,
ut conſtat ex ijs verbis *Ad audentes*

 quo-

quocunque horum facinorum; bona autem fides tollit audaciam, seu præsumptionem, sicut & ignorantia.

Nec præfatas pœnas incurrit dans ad gratiam obtinendam quid modicum. Et probatur, tùm quia ad incurrendas istas pœnas requiritur peccatum mortale, quod nequit stare cum parvitate materiæ, tùm quia de modicis non est curandum. *c. reverà de consec: dist: 2.* tùm quia quod dicitur in Bulla hac *Gregorij XIII. seu quid magnum, aut parvum promitterent*, explicari debet de re magna, vel parva, quæ etiam ante dictam Bullam sufficeret ad peccatum mortale. Dijudicanda est autem in hoc parvitas materiæ, arbitrio viri prudentis, ut pensatis circumstantiis dantis & accipientis, videat an promissa res sufficiens sit ad movendum vel iustitiæ animum collatoris gratiæ, ad ipsam conferendam.

Non afficitur etiam his pœnis, qui

dat

dat post gratiam obtentam. Quia hæ pœnæ imponuntur danti ad obtinendam gratiam, aut justitiam, & nos hîc agimus de dante post illam obtentam. Accedit in hoc casu non eandem militare rationem, quæ militat in primo, cùm dare antea, tendat ad corrumpendum judicem, non item dare postea, quod potiùs tendit ad insinuandum animi gratitudinem.

Incurrit autem has pœnas promittens, etiamsi promissio acceptata non sit; Pontifex enim, ut patet ex verbis Constitutionis *Bonifacij*, distinguit promissionem à receptione ptomissionis, & utramque actionem distincte prohibet.

Idem sentio in casu, quo quis promittat animo se obligandi solùm ex gratitudine. Quia talis promissio ex natura sua inflectit collatorem gratiæ, seu justitiæ ad eam concedendam intuitu illius, quod est contra

 inten-

intentionem Pontificum in dictis Constitutionibus.

Credo id ipsum de dante pro auferenda, aut differenda justitia, quia non est vero simile, Papam voluisse minùs punire eos, qui dant pro sententia iniusta, qualis est ea, per quam aufertur, vel differtur vera justitia, quâm eos qui dant pro sententia justa obtinenda, & aliàs ut iura dicunt: *Mens legis est potiùs attendenda, quàm verba.*

Incurruntur autem præfatæ pœnæ toties, quoties datur, aut accipitur aliquid antequam obtineatur gratia. Et probatur, quia semel ligatus unâ censurâ, est subiectum capax alterius censuræ, non solùm diversæ rationis, sed etiam eiusdem. Quomodo affectus excommunicatione ob percussionem Clerici, si iterum percutiat eundem, aut alium Clericum, iterum incurret excommunicationem.

Nota etiam pœnas harum Constitutio-

tutionum incurri per quamlibet ex actionibus prædictis, etiam non secuto effectu obtentionis gratiæ, seu justitiæ. Ratio est, quia licet regulariter loquendo ad incurrendam aliquam censuram requiratur actus completus, & consummatus, nec sufficiat conatus, aut actus imperfectus, hinc enim excommunicatio *cap: si quis 18. quæst: 4. contra percussores Clericorũ* non incurritur ab eo, qui sagittam, vel lapidem in Clericum jecit, si illũ non tetigit, quando tamen conatus ipse, seu actiones imperfectæ, per se & principaliter prohibentur, tunc per illas præcise incurretur censura. Hoc autem contingit in proposito, nam facere pactum, vel promissionem, dare, vel recipere, prohibentur principaliter & separatim, ut patet ex cõtextu *Bonifacÿ*, ideò illæ solæ sufficiunt, ad incurrendas pœnas. Ita *Navarrus, Molina, Azor, &c.*

Porrò verbis illis: *Apud Sedem*

Apoſtolicam: intelligitur Summus Põtifex, non ut Princeps temporalis in Urbe, alijſq; Civitatibus, ſed ſolùm ut habet juriſdictionem ſpiritualem à Chriſto acceptam, & conſequenter intelligũtur Miniſtri ipſius ſecundum hanc conſiderationem. Ita enim dicendo magis conformamur proprietati verborum; Sedes enim Apoſtolica proprie, & formaliter ſumpta, ſolùm importat poteſtatem ſpiritualem, qualis fuit in Apoſtolis, non temporalem; Verba autem proprie & formaliter accipienda ſunt *L. in dilectis*, §. *extraneus*, *ff. ad legem*.

Nomine etiam *Sedis Apoſtolicæ* intelligi debet curia & domus ipſius Papæ, ſive ipſe ibi ſit, ſive non, hoc enim denotat *Gregorius* in Conſtitutione relata, dum in ipſius initio dixit. *Ab ipſo Pontificatûs noſtri principio, quàm maximè poſſumus enitimur, atque contendimus, ut domus, & curia noſtra à ſordibus expurgetur*. Non

tamen

tamen intelliguntur Sedis Apoſtolicæ nomine quoad præſens ſpectat, ubi ſunt Legati Papæ, Nuntij, Epiſcopi, illa enim non ſunt curia, aut domus Papæ.

Advertit tamen *Filliucius tract: 15. n. 139.* & cum ipſo *Bonacin: diſp: 2. de Cenſur: in partic: q. 3. n. 4.* Sacram pœnitentiariam comprehendere ſub hac prohibitione etiam dantes pro cauſis temporalibus, ſiquidem expeditiones à Papa procedentes, ut eſt Princeps tẽporalis, expediuntur quoque ſub nomine *Sedis Apoſtolicæ.*

Dicta intellige de relatis Conſtitutionibus *Bonifacij & Gregorij*, loquendo enim de Conſtitutione *Clementis VII.* quam ſupra citavi, ea extenditur ad delinquentes in actionibus prohibitis in dictis Conſtitutionibus circa bona communitatum ditionis ſtatûs Eccleſiaſtici, *Non ſolùm apud Sedem Apoſtolicam ſed in quibusvis tribunalibus, & eorum quibuscunq; judicibus,*

etiam Laicis Almæ Urbis ac tam in Romana curia, quàm extra eam in quibuslibet temporali ditioni nostræ mediatè vel immediatè subjectis Provinciis Civitatibus, oppidis, terris & locis, ut ait Pontifex.

Ubi nota editam esse hanc Bullam pro bono regimine, ad quod utiquè confert, ut pro gratia, aut justitia obtinenda non detur qnidquam.

Addunt prætereà Pontifices, scientes culpabilem in prædictis, nec intra triduum denuntiantes, excommunicationem incurrere, quod puto verũ etiã de existente extra Curiam, cùm obligatio sit generalis, & lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi.

Illa verò tridui præscriptio ad denuntiandum, non est ad finiendam, sed ad sollicitandam actionem. Vide dicta q. 16. modò tamen id commode fieri possit, nec enim credibile est Papam velle pauperes ab extremis terræ finibus accedere ad Apostolicã

Sedem

edem ad denuntiandos tales delin-
quentes, lex enim debet esse accom-
nodata fragilitati humanæ.

Moneo tamen antequam talis de-
nuntiatio fiat debere delinquentem
admoneri per correctionem frater-
nam, cùm id præcipiat Christus Mat-
thæi 19. & præcepto Christi, quod-
cunque præceptum humanum
cedat oportet.

DECRETA

S. Congregationis Concilij S. D. N. Urbani Divinâ Providentiâ Papæ VIII. auctorirate edita.

DE CELEBRATIONE MISSARUM.

Sub pœna privationis officij, ac vocis activæ, & passivæ, ipsofacto incurrendis, legẽda sexto quoq; Mense, id est Feriâ 2. post primã Dominicã Adventûs, & Feria 6. post octavã Corporis Christi.

Cum sæpe cõtingat, in quibusdam Ecclesijs tam magnum Missarum celebran-

celebrandarum numerum ex varij defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri; & tamen nova onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur; indeque fiat, ut depereant piæ teſtantium voluntates, obſtricta benefactoribus fides violetur, defunctorū animæ ſuffragijs priventur, Eccleſijs debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſti fideles gravi ſcandalo affecti, plerumque â ſimilibus charitatis operibus retrahantur: cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ij, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas brevi ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quòd Eccleſijs, ſorte pecuniarum abſumptâ, plerumque nuda remaneant onera Miſſarum abſque ullo emolumento, aut quòd eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeò tenuis, ut non facile in-

e inveniantur, qui velint huic se mu-
leri subijcere, & redditus Ecclesiæ,
ut Monasterij adeò exigui, ut Sacer-
lotes pro necessaria sua sustentatione
nimijs se oneribus obstringere cõpel-
anti SACRA CONGREGA-
TIO CARD: CONCIL: TRID:
NTERPRETUM animadvertẽs,
facturam se rem DEO gratissimam,
charitatisque, ac iustitiæ maxime cõ-
entaneã, si pro viribus satagat, hunc
deterrimum abusum e Christiana Re-
publica convellere, atque eradicare
Sanctiss: D. N. Urbani Divinâ pro-
videntià Papa VIII. authoritate sibi
specialiter attributa, infrascriptia de-
creta edidit.

Ac primò directe prohibet, atque
interdicit, ne Episcopi in Diœcesana
Synodo, aut Generales in Capitulis
Generalibus, vel alias quoquomodo
reducant onera ulla Missarum cele-
brandarum, aut post idem Concilium
m posita, aut in limine fundationis;
sed pro

ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiuſmodi, ſi quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deinde, ubi pro pluribus Miſſis, etiam eiuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia, quantumcunque incongrua, & exigua, ſive ab una, ſive à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſterijs, Conventibus, Cõgregationibus, Domibus, ab locis pijs quibuſcunque tam Secularibus, quàm Regularibus, SAC: CONGREGATIO ſub obteſtatione Divini Iudicij mandat, ac præcipit, ut abſolute tot Miſſæ celebrentur,

brentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint ; ita ut alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id verò, ut deinceps observetur exactiùs, SAC: CONGREG: eadem authoritate revocat privilegia, & indulta omnia quibusvis personis, Ecclesijs, ac locis pijs, tam Sæcularibus, quàm Regularibus cuiuscunque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorũ celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurũ suscipiendis satisfiat.

Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte

eiusdem eleemosynæ sibi retentâ, celebrandam committat.

Præterea, ne in Ecclesijs, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eò tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera huiusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate coniuncta: statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasterijs, Conventibus, ac locis omnibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, atque illorum personis in futurũ simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes ædem Sacram, vel personam, fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretiũ quamprimùm

inve-

investiendi in bonis immobilibus fru-
ctiferis, cum expressa, & individua
mentione oneris, quod illis annexum
reperitur: ac, si eadem bona immo-
bilia auctoritate Apostolica deinceps
alienari contigerit, eorundem preti-
um sub eadem pœna, ut supra, de-
poni, atque in alijs bonis stabilibus
itidem fructiferis, cum eiusdem one-
ris repetitione, atque annexione con-
verti debeat.

Ad hæc SAC: CONGREGATIO
quibusvis Capitulis, Collegijs, Soci-
etatibus, & Congregationibus, nec
non omnibus & singulis Ecclesiarum,
ac piorum locorum, tàm Sæcularium,
quàm Regularium Superioribus, vel
alijs ad quos pertinet, districte pro-
hibet, ne imposterum onera perpetua
suscipiant missarum celebrandarum:
Sæculares quidem sine Episcopi, vel
eius Generalis Vicarij, Regulares ve-
rò sine Generalis, vel Provincialis cõ-
sensu, & licentia in scriptis, & gratis

concedenda: alioquin Sæcularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò pœnam privationis omniũ officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia obtinẽda vocisque activæ & passivæ absq; alia declaratione incurrat. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro missis celebrandis, ita demûm ijdẽ accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant: alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesijs cum inscriptione illa, Eleemosyna pro Missis, vel alia simili, sub ijsdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur. Episcopus verò, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis,

gulis casibus diligenter inquirant de
singulis Missarum celebrandarum o-
bligationibus cuique Ecclesiæ, Mona-
sterio, aut loco pio incumbentibus:
nec antea assenssum huiusmodi aut li-
centiam præbeant, quam eis legitime
constiterit, illius Sacerdotes tam no-
vo oneri suscipiendo, quàm antiquis
jam susceptis satisfacere posse: præ-
cipuamque rationem habeant, ut re-
ditus, qui Ecclesijs, & locis pijs re-
linquuntur, omninò respondeant o-
neribus adiunctis, secundùm morem
cuiusque Civitatis, vel Provinciæ:
intelligantque si in re tanti momen-
ti desides, aut negligentes fuerint,
in novissimo die se huius prætermis-
si muneris rationem esse reddituros.

P stremò ILL STRISS: PA-
TRES, non sine gravi animi dolo-
re intelligentes, mala fere omnia,
quæ regularem disciplinam evertunt,
ac præcipue nimiam hanc facilitatem
fovent in oneribus Missarum supra vi-

 res su-

res suscipiendis, velut ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quàm ferant reditus, & eleemosynæ cuiusque Monasterij: Inhærentes summorum Pontificum, ac Sac: Trid: Concil: decretis hac de re editis, Sanctiss: D. N. authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscunque alijs Superioribus Monasteriorũ, Conventuum, ac Domorum Regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscũque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, reditus

ditus & proventus omnes, consuetas
item eleemosynas, & obventiones,
tàm communes Monasteriorum, Con-
ventuum, & Domorum eiusdem Pro-
vinciæ, quàm etiam singularibus per-
sonis Religiosis assignatas seu permis-
sas, in communem usum deinceps,
conferendas, decem annorum imme-
diate præcedentium habita ratione,
diligenter, & mature recognoscant,
ijs omnibus detractis, quæ reparati-
ones, præstationes, grandines, sterili-
tates, alijve cuiuslibet generis onera
consueverunt absorbere; eaque o-
mnia scripto fideliter exarata, idem
Superior, cuius interest, in proximo
Capitulo, seu Congregatione Gene-
rali, vel Provinciali coram tribus Iu-
dicibus ab ipsomet Capitulo, seu Cō-
gregatione deligendis proponat, qui
computatis huiusmodi reditibus, ele-
emosynis, & obventionibus univer-
sis, & oneribus, ut supra detractis,
sedulo examinent, quot religiosi ho-
mines,

mines, connumeratis etiam Laicis, alijſque neceſſarijs ſervientibus, in unoquoque Monaſterio, Conventu, & Domo regulari, juxta religionis, & proprij inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorundem bonorum, redituum, eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant: ut in illo diligenter omnibus diſcuſſis cuiuſque familiæ Monaſterij, Conventûs, ac Domûs regularis, in ſingula quaque Provincia certus earum tantùm perſonarum numerus, Patrum capitularium voto præfigatur, quæ reditibus, eleemoſynis, & obventionibus, ut ſuperiùs, ſufficienter ali poſſint. Ne verò Superiores, qui id præſtare debent, ſeriùs aut remiſſiùs, quâm par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant, mandat SAC: CONGREGATIO, ut infra annum, poſt proximum Capitulum

lum generale, vel Provinciale com-
putandum, omnia hoc de genere par-
ticulariter geſta, in authenticam for-
mam redacta ad ſacram ipſam Con-
gregationem Concilij ſinguli mittant:
Numerumque familiæ, ſingulorumq;
Conventuum, Monaſteriorum, & Do-
morum huiuſmodi regularium, Capi-
tuli, ſeu Congregationis Generalis,
vel Provincialis ſententia, & autho-
ritate præfinitum, ijdem Superiores,
tàm Generales & Provinciales omnes,
quàm locales perpetuò ſervare omni-
nò teneantur, nec poſſint illum quo-
quomodo augere, etiam prætextu au-
gmenti redituum abſque Sacræ ipſi-
us Congregationis licentia. Superi-
ores autem huiuſmodi, qui prædicta
omnia in præfixo termino non præ-
ſtiterint, vel numerum ut ſupra præ-
ſcriptum quovis modo augere præ-
ſumpſerint, privationis omnium of-
ficiorum, quæ tunc temporis obtine-
bunt, vociſque activæ, ac paſſivæ, &

 ad o-

ad omnia suæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque alijs etiam gravioribus à Sede Apostolica infligẽdis pœnis Sac: Congregatio subiacere voluit, & declaravit.

Deinceps verò Monasterium, Conventus, domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi, recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis, duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex reditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, ut supra, detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti fel: record: Greg: XV. hac de re editi. Alioquin Monasteria, & loca huiusmodi post hac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut supra, sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarij loci visitationi, correctioni atque omni-

modæ jurisdictioni subiecta esse intelligantur.

Porrò, ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cuiusque Monasterij, Conventus ac Domûs Regularis, curare, atque efficere teneantur sub pœna privationis Officij, vocisque activæ & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum, sexto quoque mense, id est feria secunda post primam Dominicam Adventûs, & feria sexta post Octavam Corporis Christi, præsentes ordinationes in publica mensa perlegantur. Omnibus tàm Ecclesiasticis personis, cuiuscunque sint Ordinis, conditionis, & gradûs, quàm Laicis quocunque honore, ac potestate præditis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitùs interdicta.

Non obstantibus, quoad suprascripta omnia, & singula in præsentibus Decretis contenta, constitutionibus,

& Or-

& Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcunque perſonarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioan: Hieroſolymitani, Congregationū, Societatum, ac cuiuslibet alterius Inſtituti, etiam neceſſariò, & individuo exprimendi, Eccleſiarū, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorūcunque, tam Sæcularium, quàm Regularium locorum, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemborabilibus, privilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficatioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritanti-

bus De-

bus Decretis, etiam motu proprio, &
ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ
poteſtatis plenitudine, aut aliàs quo-
modolibet etiam per viam communi-
cationis, ſeu extenſionis conceſſis, &
iteratis vicibus approbatis, & inno-
vatis, etiam ſi pro illorum ſufficienti
derogatione de illis, eorumque totis
tenoribus, & formis ſpecialis, & in-
dividua, ac de verbo ad verbum, non
autem per clauſuras generales, men-
tio, ſeu quævis alia expreſſio haben-
da, aut aliqua alia exquiſita forma
ſervanda eſſet tenores huiuſmodi, ac
ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs
omiſſo, & forma in illis tradita obſer-
vata, inſerti forent, præſentibus pro
expreſſis habens, quibus, quoad ea,
quæ præſentibus adverſantur, illis a-
liàs in ſuo robore permanſuris, ſacra
Congregatio, Sanctitatis ſuæ autho-
ritate, & ſpecialiter, & expreſſe dero-
gat, cæteriſque contrarijs quibus-
cunque.

Et ne

Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem SACRA CONGREG: ut præsentes Ordinationes in valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ, omnes ad quos pertinent, ita arctent & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent. Utq; earundem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ die 12. Iunij 1625.

DE-

DECLARATIONES

Aliquot Sac. Concilij S. D. N Urbani Papæ VIII. auctoritate editæ super Decretis ejusdem Congregat.

DE CELEBRATIONE MISSARUM,

SUper primo Sacræ Congregationis Decreto, de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliis quomodolibet, reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, &, si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessarijs.

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

Secundò, super secundo eiusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci personarum, ac temporum Sacerdotes accipientes stipendium minus congruū, teneantur Missas illas ab offerente præscriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, possint etiam manualem eleemosynam, pro Missis votivis, aut defunctorum,

recipere, & unico Miſſæ ſacrificio utrique oneri ſatisfacere?

Quintò, poſito, quòd Teſtator relinquat, ut celebrentur pro eius anima centum Miſſæ, abſque ulla præſcriptione eleemoſynæ. Quæritur, an liberum ſit hæredibus eleemoſynam ſibi bene viſam determinare vel an præſcribenda ſit ab Ordinario?

Sextò, ſuper tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quæritur, an verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt privilegium?

Septimò, ſuper quarto eiuſdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna,

ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium inservientium paramentorum, luminum, vini hostiæ, & similium?

Octavo, an hoc Decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector Beneficij, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum Beneficij?

Nonò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam ijs, quibus Missas celebrandas committunt. An verò satis sit, ut dent, celebrantibus eleemosynam consuetã?

Deci-

Decimò, ſuper quinto eiuſdẽ Congregationis Decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba: Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum ij-dem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoq́; onera obire valeant; Alioquin omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c.

Quæritur an hoc Decretum prohibeat abſolute, quo minus accipiant novas eleemoſynas ij, qui acceptis non ſatisfecerunt: & quid ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

Undecimò, quid, ſi offerens eleemoſynas, audito impedimento conſentiat, ut Sacerdos Miſſam celebret cùm primum poterit?

Duodecimò, an pœna interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem Decreto afficiant tàm eos, qui accipiunt elee-

mosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesijs ut ibidem præcipitur?

Decimotertiò, an in hoc decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesijs in die Commemorationis Omnium Sanctornm, & vulgò dicuntur (*casse de Morti.*)

Decimoquartò. an Administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si ijsdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus fidelium, ut aiunt, minuantur?

Decimoquintò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tàm Sæcularium, quàm Regularium Superioribus, de

quibus

quibus ſit expreſſa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula Generali (& alijs, ad quos pertinet) ſupplicatur pro opportuna declaratione.

Decimoſextò, ſuper ſeptimo eiuſdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in ſingulis Monaſterijs Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis reditibus, aut eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari.

Quæritur, an ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim ſimils Decreti ſan: mem Pauli V. abſque tamen computatione redituum cuiuſque Religioſi, ſit denuò facienda, nec ne?

Decimoſeptimò, an Novitij ad habitum Regularem admiſſi, poſſint admitti ad profeſſionem in Monaſterijs, in quibus habita ut ſupra, præfixione numeri, commode ali non poſſunt?

Decimooctavò, ſuper ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Con-

ventus Regularium, nisi præter alia ad id requisita, duodecim saltem fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint jurisdictioni Ordinarij.

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrat. Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueverut onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jesu?

Ultimò an idem Decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia duntaxat ad quam est restrictum Decretum proxime antecedens, an verò etiam extra Italiam?

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, authoritate sibi à Sanctiss. D. N. attributa, ad singula dubia superiùs proposita ad hunc modum respondit videlicet.

Ad pri-

Ad primum, etsi legatum sit adeò tenue, nihilominus, pro reductione oneris, ut supra, impositi ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino e re esse judicaverit; verumtamen si in ipsa Beneficij erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Fpiscopo iniunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quod præscripserit Ordinarius secundùm morem suæ Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium teneri.

Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, ſeu capellæ, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas pro alijs etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere.

Ad quintum, cenſuit, ubi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad ſextum, ita eſſe intelligenda.

Ad ſeptimum reſpondit, permittẽdum non eſſe, ut Eccleſiæ, ac loca pia ſeu illorum adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum ullam, utcunque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cùm Eccleſiæ, & loca ipſa alios non habent reditus, quos in uſum earun-

dem expensarum, erogare licite possint, & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecunijs, quæ supersunt, expensis, ut supra deductis, absolute tot Missæ celebrentur, quod præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad octavum, non habere locum, sed satis esse ut Rector beneficij, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere absolute integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam Illius partem sibi retinere posse.

Ad undecimum, respondit, non prohibere

 hibere

hibere absolute: Ac propterea, et oneribus jam susceptis non satisfecerint posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad duodecimum, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosyuam pro aliarum Missarum celebratione, id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cùm susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quo minùs eo casu eleemosyna accipiatur pro ijsdem Missis juxta Benefactoris consensum celebrandis.

Ad decimumtertium, has pœnas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel eius Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad decimumquartum, comprehendi.

Ad de-

Ad decimumquintum, non posse
isi de consensu eorum, qui eleemo-
ynas tribuunt, ut supra in responsi-
ne âd duodecimum.

Ad decimum sextum, comprehen-
di etiam privatos Sacerdotes.

Ad decimumseptimũ, numeri præ-
fixionem esse iterum faciendã, servata
forma ultimi Decreti hac de re editi.

Ad decimumoctavum, esse admit-
tendos ad professionem si alias habi-
les existant, ac deinde in aliquo alio
Monasterio eiusdem Religionis esse
collocandos, ubi commode ali possint.

Ad decimumnonum, censuit com-
prehendere.

Ad ultimum, habere locum etiam
extra Italiam.

DUBITATIONES
AD HOC DECRETUM.

QUæres I. an Prælati Locales, die præscripta teneantur curare, ut hæc Decreta legantur?

Respond: ex declaratione Sacræ Congregationis facta *21. Mart: 1638.* ad instantiā Procuratoris Generalis *Eremitarum S. August:* lectionem præsentium decretorū posse fieri sive ipsa die præscripta in illis, sive infra terminū decem dierū immediate sequentium, sive etiam infra terminū unius Mensis immediate sequētis, prout declaravit eadem Sacra Congregatio 16. Aprilis 1628. ad petitionem Canonicorū Regularium Lateranensiū S. Augustini.

Ad eorundem petitionem declaravit Sacra Congregatio 11. Februarij 1648. tempus faciendi commonitionem circa decreta iussu Urbani VIII. edita die 7. Iunij 1633. & infra mox afferenda, extendi per totum mensem Augustum, & hanc extensionem suffragarj omnibus Religiosis. Occurrente tamen iustâ causâ, potest anticipari præfata commonitio cùm præfixio temporis non sit in cultum ipsius temporis, & plus solvat, qui solvit ante tempus.

Quæres

Quæres II. an prohibitio non re-
ipiendi multiplex ſtipendium pro
na, ac eadem Miſſa, adſtringat Re-
ulares ubicunque exiſtentes, etiam
xtra Italiam? Reſpondeo, adſtringe-
e. Et prob: tùm ex eò, quòd hæc
Decreta, quoad hoc, loquuntur ge-
neraliter, ut patet eorum tenorem
legenti; lex autē generaliter loquens,
generaliter debet intelligi: tum quia,
ſi S. Cōgregatio voluiſſet, quoad hoc
obligare ſolùm Regulares degentes
intra Italiam, hoc ipſum expreſſiſſet,
ſicut inferiùs expreſſit, dùm obliga-
vit eoſdem Regulares ad computan-
dam ſummam omnium redituum an-
nuorum, aut eleemoſynarum, eamq;
in authentica forma mittendam ad
ipſam Sacram Congregationem cum
numero familiæ, & ſingulorum Con-
ventuum: ſiquidem talem obligatio-
nem non extendit ultra Italiam, &
Inſulas adiacentes: ut conſtat ex ijs
verbis, *exiſtentium intra fines Italiæ,*
& Inſu-

& Insularum adjacentium : ex quo infero, quòd, Sacra Congregatio, loquens de prohibitione non recipiendi multiplex stipendium, nullam talem limitationem apponat, signum est, eam velle, quoad hoc obligare Regulares, sive existentes intra Italiam, sive extra.

Quæres III. an quando capitale deperijt sine culpa Conventûs, teneatur Superior facere celebrare? Respond: negative, tùm quia nullus Sacerdos obligatur sine stipendio; tùm quia intentio testatoris præsumitur velle obligare Sacerdotem seu Monasterium, in quantum recipit stipendiũ, & non aliter. Tum quia datur beneficiũ, propter officiũ ergo quando benecium hoc est, capitale, seu salariũ perijt officiũ quoq; celebrandi debet perire.

Neque declaratio S. Congregationis, quia statutum est, etiam in casu, quo legatum sit adeò tenue, ut non sit, qui velit onus illi iniunctum subire,

re, recurrendum esse ad Sedem Apo-
tolicam pro moderatione oneris: non
nquam talis declaratio videtur ex-
endi ad casum præsentem, in quo
upponimus, legatum omninò extin-
gui; ut quid enim recurrere ad Se-
dem Apostolicam pro moderatione
oneris, si nullus relinquitur locus mo-
derationi? cùm ergò lex non obli-
get ad actum otiosum, dicendum est,
Sacram Congregationem non exten-
disse illam suam declarationẽ ad præ-
sentem casum, cùm sit diversa ratio
de hoc, ac de illo: & ubi est diver-
sa ratio, diversa quoque debeat esse
juris dispositio. Dixi *sine culpa*, quia,
subsistente culpa, adhuc Sacerdos, seu
Religio remanet obligata, quia nemo
debet pati damnum ex culpa aliena.

Quæres IV. an privilegium si cõ-
cedatur Episcopo alicui reducendi o-
nera Missarum suæ Diœcesis, exten-
datur, vel intelligatur etiam respectu
Regularium, ita quòd Episcopus pos-

sit re-

ſit reducere onera Miſſarum Regularium?

Reſpond: Poteſt Epiſcopus virtute illius privilegij reducere etiam onera Miſſarum Regularium, modò verba non reſtringant privilegium ad onera ſolùm Clericorum ſæcularium. Probatur, quia etiam onera huiuſmodi ſpiritualia commiſſa Religioſis, ex propria vocabuli ſignificatione dicuntur onera Diæceſis Epiſcopi habentis privilegium, ergo illud extenditur etiam ad Religioſos. Quod confirmatur, quia Epiſcopus ex debito ſui Officij, de jure communi poteſt exequi, & diſponere de ultimis voluntatibus teſtatorum tâm Civili *Cod: de Epiſcop: & Cler:* tàm Canonico *cap: Nos quidem 3. cap: Tua nobis 17.* ubi ſermo eſt etiam de Religioſis, *de teſtam: Clem: de teſtam:* ubi Ordinarius loci rationem exigit â Religioſis etiam exemptis de executionibus teſtamentorum, ergò cùm Religioſi in hoc,

hoc, quod odioſum reputatur Epiſcopo ſubijciant, eò magis in hoc favore, ut poſſint ab eo procurare reductionem Miſſarum.

Quæres V. an Abbates & Generales Ordinum poſſint in Capitulis Generalibus Miſſas Capellaniarum, & Anniverſariorum juſta de cauſa ad minorem numerum reducere? Reſpond: Id illos potuiſſe ex Concilio Tridentino *ſeſſ: 25. de reform: c. 4.* Nullatenus tamen jam id poſſunt facere propter Decretum adductum. Poſſunt tamen Generales in Capitulis Generalibus re diligenter perſpectâ juxta prædictum Decretum Concilij Trident: facere reductiones Miſſarum (idem militat de Anniverſarijs, & Officijs defunctorum) quæ ante prædictum Concilium relictæ erant, non in limine fundationis, ſed pro alia cauſa (qualia ſunt relicta in ultimis voluntatibus, ac teſtamentis per modum legati. Ratio eſt, quia in De-

creto præſenti ſolùm prohibetur reductio onerum Miſſarum, *quæ aut poſt idē Concilium impoſita, aut in limine fundationis*, ergo illa, quæ ante Concilium & non in limine fundationis impoſitionis erant, non prohibentur reduci.

Quando autem id fiet, curandum eſt, ut piæ fidelium voluntates quàm minimùm defraudentur, & hoc faciendo aliquam compenſationem, v. g. vel celebrando Miſſam Generalem pro ijs in unaquaque hebdomada, vel ſingulis ferijs ſecundis recitando pro ijſdem aliquem Nocturnum defunctorum, vel in una ac eadem Miſſa dicendo pro illis varias collectas.

Difficultas eſſe poteſt, an Generales Ordinū huiuſmodi facultatem reducendi Miſſas poſſint delegare etiā alijs.

Reſpondeo, poſſe, dummodò iſti alij reductionem faciant in Capitulo Generali: quod ſemper eſt ſervandum, ut pote in forma conceſſionis expreſſe præſcriptum, (quamquam

ſi ea reductio fieret extra Capitulum Generale, adhuc poſſet cenſeri valida cùm in forma conceſſionis nulla extet clauſula irritans reductionem factam extra Capitulum Generale, ut patet) Ratio reſponſionis eſt. Quod quoties aliquid conceditur Prælatis præſentibus, & futuris in perpetuum, non poteſt dici, quòd eligatur induſtria perſonæ; cùm perſonæ incognitæ delegetur, ut bene notat *Sanch: lib: 2. de matrim: diſput: 40. num: 17.* Quando autem non eligitur induſtria perſonæ, facultas conceſſa poteſt delegari: unde in præſenti caſu, cùm facultas reducendi Miſſas concedatur Generalibus præſentibus, & futuris, dicendum eſt, eos poſſe illam delegare, utpote ipſis jure ordinario competentem, & conceſſam ratione officij, non verò induſtriæ ipſorum ſpecialiter electæ.

Quæres VI.: an non obſtante hac prohibitione poſſit duplex ſtipendi-

um recipere, qui in Ecclesia aliqua tenetur celebrare, sine applicatione sacrificij. Respond: affirmative, quia tunc datur stipendium non pro applicatione sacrificij, sed pro commoditate populi, & cultu Ecclesiæ, & ideò potest eleemosynam alienam Sacerdos recipere pro Sacrificij applicatione, absque eo, quòd contrahat peccatum, & restitutionem illius eleemosynæ. Sed adverte, quòd in dubio non præsumitur datum, pro cultu Ecclesiæ, sed pro applicatione sacrificij. Dantes enim stipendia pro Missa, omnem fructum ipsius petunt sibi applicari, appellatione enim rei; simpliciter venit res tota, & non pars tantùm, ut habetur in *cap: fin: de verborum significatione*, & nemo præsumitur juri suo renuntiare, nisi hoc exprimat. Nisi aliud constet ex manifestis verbis testatoris, vel circumstantijs personarum, ideô cûm Regulares faciunt celebrare in sua Ec-

clesia

cleſia feſtis diebus, vel ob commoditatem perſonarum vicinarum abſque alia expreſſione, non intelliguntur velle applicationem ſacrificij. Pro oblatione dicendi Miſſam ſummo mane, vel ad locum diſtantem, etiam plus ſtipendij poteſt Sacerdos accipere, quia maiori labore tunc afficitur. Hinc & pro Miſſa ſolenni maior eleemoſyna debet aſſignari, quàm pro Miſſa privata, item quando imponitur Miſſa cum Officio Defunctorum.

Quæres VII. an Sacerdos quotidianæ Miſſæ onus ſuſcipiens, peccet mortaliter, ſi quotidie non celebret? Reſp: Legatum factum à teſtatore pro Miſſa quotidiana, vel refertur ad locum, vel ad perſonam Sacerdotis. Si ad locum, ut ſcilicet, quotidie celebretur Miſſa in tali Eccleſia, Oratorio, ſive Capella, aut Altari, tunc Sacerdos poteſt celebrare per ſe, ſive per alium, quia ubi verba clara ſunt, non eſt recedendum ab eis, at clara

est institutio Missæ quotidianæ in tali loco celebrandæ: ergo huiusmodi Missa debet quotidie celebrari, & hoc quoad primam partem, scilicet celebrationem quotidianam. Quo verò ad personam Sacerdotis, dico, quòd duobus modis institutio circa talem personam contingere potest; primò, si in institutione ponatur, quòd per se, vel per alium; secundò absolute, & simpliciter, his verbis, vel similibus, scilicet eligatur Capellanus, qui quotidie celebret, & tunc non tenetur Sacerdos quotidie celebrare, sed quantò frequentiùs poterit, salva propria honestate, & debita veneratione tanti Sacrificij. Ratio est, nam Sacerdos non est quotidie apte dispositus ad offerendum tantum Sacrificium, ergo institutio Missæ quotidianæ sine ulla vacantia illicita esset, si peccandi materiam præstaret. Vacantia autem huiusmodi à Missæ celebratione semel in hebdomada originem habet *à cap:*

signi-

significatum de præb: ubi ea conceditur ad peccatum ex mala dispositione evitandum, & causa maioris devotiònis, & honestatis, quare his causis cessantibus, cessat etiam juris concessio. Prædicta intellige, si stipendia dentur omnia simul, secûs si dentur de die in diem singulis diebus, tunc enim Sacerdos abstinere debet à recipiendo stipendio, eo die, quo à celebratione vacat. Quod si autē explicetur, quòd quis per se, vel alium celebret, defectus oneris suppleri debebit per aliū.

Concedendum etiam est Sacerdotem prædictum obligatum pro quotidiana celebratione, posse aliquando in anno, quater, vel sexies, vel forte sæpiùs pro seipso, vel pro aliquibus suis coniunctis ad obtinendā specialem gratiam, vel pro anima parentum, vel amicorum, vel benefactorum celebrare, quia credibile est institutorem quotidianæ Missæ, si de tali re tàm æqùa, & justa interrogatus fuisset, illam non denegâsset, aliàs

nimis intollerabile esset onus quotidianæ celebrationis, si obligationem naturalem, & charitatem in propriam personam, & in parentes, aut amicos, vel benefactores ei præcluderet, & semper pro institutore quotidianæ Missæ celebrare deberet.

Si verò obligetur Sacerdos ad Missam celebrandam peculiarem nempe votivam, aut de mortuis, licet tale fuerit legatum testatoris, poterit adhuc celebrare de festo, aut de feria currente, maxime si festum sit duplex, unde in *cap: significatum de præbend:* summus Pontifex noluit approbare institutionem Missæ quotidianæ de S. Maria, sed declaravit, quòd Sacerdos ad huiusmodi præbendam electus, tenetur celebrare Missarum solennia.

Sed particularis adhuc scrupulus est circa Missas de Requiem, nam aliqui tenent; quòd si obligatio ex institutione, sive ex largitione eleemosynæ proveniat, tunc Sacerdotem teneri

teneri ad Miſſam de Requiem celebrandam. Verùm huiuſmodi ſententia nimis rigoroſa videtur, imò aliquando derogare poſſet rubricis Miſſalis, in quibus habetur, Miſſam cum officio concordare debere, quod maxime locum habet in feſtis duplicibus; tùm quia reſpectu fructûs, qui habetur ex ipſa Miſſa, ſi loquamur de valore operis operati, omnes Miſſæ ſunt omnino eiuſdem valoris; reſpectu autem valoris accidentalis, qui eſt ex Sacerdote celebrante, & verba, ac orationes in Miſſa recitante, qui eſt valor ex opere operantis, poteſt eſſe æqualis, imò maior in Miſſa de Sancto.

Verum quidem eſt, quòd quia orationes, quas Eccleſia pro defunctis ordinavit, magis directe petunt effectum liberationis animarum e Purgatorio, & alia etiam, quæ in Miſſa de Requiem dicuntur expreſſiùs miſeriam animarum in Purgatorio exi-

ſtentium demonſtrant, poſſunt de facili circumſtantes excitare ad orandum pro ipſis, hinc eſt quod in die obitus, vel præſente defuncti corpore, aut in die tertio, vel ſeptimo, vel in Anniverſario ſolemni, utilior eſſe poterit Miſſa de Requiem, atque ita à Sacerdote illa potiùs celebranda erit quàm alia: dummodo tamen non ſit feſtum duplex, aut dies Dominicus, in quibus ex Rubricis Miſſalis non conceditur Miſſa de Requiem, niſi præſente funere.

In hac tamen re admonendus eſt petens Miſſam pro defunctis, & juxta prædicta inſtruendus, ne ſcandalo afficiatur, dum petens Miſſam de Requiem, aliam audit; tùm quia facile ei hoc perſuaderi poteſt, tùm quia Sacerdos tutiùs agit, præmiſſa hac admonitione.

Quod ſi Sacerdos ſtipendio accepto, vel aliâs expreſſe Miſſam de Requiem promiſerit, eandem omninò

dicere

dicere debet, quia tenetur implere promissum, & alias gravissime peccaret, violando virtutum fidelitatis, præcipue si promissum esset juramento obfirmatum, ut sæpe evenit in obligationibus Missarum in forma stipulationis acceptis.

Quæres VIII. an non obstantibus præfatis Decretis recipi possit duplex stipendium pro eadem Missa, si stipendia recepta sine valde exigua, incongrua, & minora stipe ordinaria legitime taxata, Sacerdotesque ratione gravioris mendicitatis cogantur illa acceptare, aliàs non acceptaturi. Resp. Negative, Prob. tùm ex Decretis Sacræ Congregationis adductis. Si enim verba relata expendantur, & contextus ipsorum, maxime verba illa proemij scilicet: *Vt Sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur*, inspiciantur, facile cognoscetur non solùm hanc esse mentem ejusdem Congrega-

tionis

tionis, ſed hunc fuiſſe finem edendi dicta Decreta. Tùm quia Chriſtus, aut Eccleſia non inſtituit Miſſas ad alendos pauperes Sacerdotes, imò Eccleſia ſanxit, ut nullus pauper ordinaretur. *cap. non liceat, cap. Epiſcopus. c. tuis & c. cum ſecundum de præbend. & in Concil. Trident. ſeſſ. 21. c. 2.* ubi pro Sacerdotum Ordinatione, Beneficium, aut Patrimonium petitur. Imò etiam *cap. Clericus victū diſtinct.* 61. decernitur quòd Sacerdos in paupertatem incidens aliqua arte, ſive agriculturâ ſibi victum quærat. Tùm quia eſto, quòd Sacerdotes poſſint pro Miniſterio Altaris ſubſidium corporalis alimenti accipere, ut colligitur ex *Paulo 1. Corinth. 9.* irrationabile tamen prorſus eſt, ut pro ſemihoræ labore, qualis eſt ille, qui in Miſſis dicendis exhibetur, totum diei alimentum exigant. Tùm denique, quia paupertas Sacerdotis non dat illi jus ad recipiendum, ultra juſtum ſtipendium

dium taxatum, ſicut nec in alijs rebus paupertas vendentis, auget pretium rei, quæ venditur.

Quæres IX. Quid dicendum ſit, ſi aliquis petens à Sacerdote v. g. quinque Miſſas, porrigendo ei pecuniam chartâ involutam, quàm cùm acceperit Sacerdos, & Miſſas promiſerit, reperit poſtea, ſtipendium eſſe inſufficiens?

Reſpondeo, ſine præjudicio obedientiæ Decreti S. Congregationis, poſſe tunc Sacerdotem reducere Miſſas ad rationem juſti ſtipendij, dummodò moneat eum, qui petijt Miſſas, de facto, ad hoc, ut ſibi conſulere poſſit, & de alijs Miſſis providere. Ratio eſt, quia tunc juſtitia inter dantem, & accipientem non eſt æqualis, ideò Sacerdos, qui juſtitiam ſtipendij ignoravit, & ſi noviſſet, non acceptâſſet tale onus, eſt læſus, & rationabiliter invitus hoc paſſus eſt gravamen, ac proinde ſe indemnem ſervare poteſt

absque præjudicio justitiæ. Neque hic Sacerdos damnum infert animabus, pro quibus Missæ petebantur, consulit enim juri suo, quia ut dixi, admonere poterit Sacerdos eum, qui stipendia insufficientia tribuit à quo detrimentum infertur animabus, qui occultato stipendio, plures Missas habere præsumpsit; atque ita asserit *Azorius tom. 3. lib. 12 cap. 6. quæst. 3.* qui addit Sacerdotem posse tunc officium judicis implorare.

Quæres X. an possit dici transgressor eorum Decretorum Regularis, qui habens Missam ex stipendio obligatam, ab alio recipit alterum stipendium, cum onere orandi pro eo in eâdem Missa, aut etiam recitandi aliquam Collectam, seu orationem pro defuncto.

Respondeo Regularem in hoc casu vere non posse dici transgressorem eorum Decretorum: patetque ex eo, quòd quando eiusmodi Decreta præcipiunt,

cipiunt, ut abſolute tot Miſſæ celebrē-
tur, quot ad rationem attributæ Elee-
moſynæ præſcriptæ fuerint: ſupponūt
dantes ſtipendium intendere, ac velle
ſibi applicari totum Sacrificium; ta-
men in caſu noſtro alter ex dantibus ſti-
pendium non petat, nec intendat ap-
plicationem Sacrificij, ſed ſolùm ut
Sacerdos, qui recipit ſtipendium, pro
eo in Miſſa oret, aut dicat aliquam
Collectam, alias habens jus exigendi
applicationem totius Sacrificij: quod
tamen non facit defacto, cedens juri
ſuo. Ita *Fraxin.* monens, ad id ſufficere
conſenſum petentis, etiam tacitū; qua-
lis poſſet etiam rationabiliter præſumi
in caſu, quo quis ſciens Sacerdotē eſſe
obligatum ad celebrandum pro alijs,
nihilominùs ei eâdē, aut ſimili occaſi-
one daret ſtipendiū pro Miſſa Sic enim
cēſetur cedere juri ſuo, iuxta illud: *Vo-
lenti, & conſentienti non fit injuria*, &
præſumitur eſſe contentus ut in Miſſa
pro eo ſolū oretur, aut dicatur Colle-
cta, ſeu Oratio modo ſupradicto. Ad-

Addit *Fraxin:* ex *Suar: Azor: Bonac:* & alijs, quod ſicut Sacerdos recipere poteſt pro Miſſa ſtipendium maius, quâm lege, aut conſuetudine taxatum fuerit, ſi gratis, & ſponte offeratur; ita & poterit Sacerdos, ſi voluerit, recipere pro Miſſis ſtipendium minus, quàm fuerit taxatum; alioqui leges Prælatorum excluderent pietatem: & ipſa virtus iuſtitiæ impediret opera Chriſtianæ liberalitatis, ac miſericordiæ: quod ſine dubio eſſet maximum inconveniens.

Quæres XI. An Regulares caſu, quo augeatur res legata Eccleſiæ pro Miſſis celebrandis, teneantur etiam ipſi augere numerum Miſſarum;

Reſpondeo: non teneri, ſi tale augmentum proveniat non ex ipſa re ſimpliciter, ſed ex induſtria, labore, ac expenſis ipſorum Regularium: ſic quippe augmentum eſt præmium laboris, ac fructûs induſtriæ, adeoq; non debet inducere obligationem maioris

maioris oneris. Secûs, si dictum augmentum procedat ex casu aliquo fortuito, (ut si fundus assignatus pro Missis sit vicinus flumini, & flumine recedente â suis terminis, ille notabiliter augeatur ex alluvione) tunc enim augeri debet numerus Missarum, ut patet, tum ex *c. fin: de verb: signific:* ubi dicitur, quòd si fructus præbendarum creverint, debet augmentum converti in utilitatem Ecclesiæ, id est, ut *Glossa* exponit, in pias causas, qualis in nostro casu est, quòd augeatur numerus Missarũ in refrigerium animæ testatoris: tùm quia contrariorum eadem est disciplina; idemq; operatur oppositũ in opposito quod propositũ in proposito *l. quod in rerũ* §. *Si quis potest de legat: 1.* & sic quemadmodũ par est, ut diminutis stipendijs, minuatur numerus Missarum per legitimum Superiorem modo infra explicando: ita & aucta re legata æquum est, ut augeatur numerus

Miſſarum: cùm commodum ab incommodo reguletur. *l. ſecundum naturam ff. de regula jur:*

Quæres XII. an ſit obligatio celebrandi Miſſas eo numero, quo relictæ ſunt, ſi contingat ſtipendium illarum minui, & annui reditus legati ad illum effectum relicti non correſpondeant juſto ſtipendio tunc currenti?

Reſpondeo non teneri, niſi hæredes, ex bonis hæreditatis ſuppleant ſtipendium: non poſſe tamen propria authoritate numerum Miſſarum diminuere, ſed eo modo, quo dicemus infra. Ratio reſponſionis eſt, quòd ſicut re legata pro Miſſis notabiliter auctâ, augeri debet Miſſarum numerus, juxta dicta *q. præc:* ita & re legatâ diminutâ, minui debet Miſſarum numerus; cûm non minùs regulandum ſit incommodum â commodo, quàm commodum ab incommodo.

Utrum verò hæredes in caſu propoſito teneantur ſupplere ſtipendium?

Reſpon-

Reſpondeo negative, & primò quidem, quia alioqui ſæpe ſæpiùs inſurgerent odioſæ, & perpetuæ lites inter Regulares, ac hæredes antiquorum legatorum cum non mediocri animorũ inquietudine: ſecundò, quia aliàs vana eſſet proviſio Concilij Trid: *ſeſſ: 25. de refor: c. 4.* ubi cùm ſæpiùs contingeret, ut in quibuſdam Eccleſijs eleemoſyna pro celebrandis Miſſis olim impoſita adeò tenuis evaſiſſet, ut non facile inveniretur, qui vellet ei ſe muneri ſubijcere, & ideo deperirent piæ teſtantium voluntates, ſanctiſſime ſtatuit, quòd ab Epiſcopis, vel â Generalibus Regularium numerus Miſſarum reſtringi, ac minui poſſet: non autem, quòd ab hæredibus majora ſtipendia exquirerentur: tertiò, quia teſtatores communiter curant gravare ſuos hæredes, quàm minimùm poſſunt, adeoque non eſt ita certum, quòd poſſit præſumi, mentem illorum fuiſſe, ut aucto decurſu

temporis Missæ stipendio, hæredes tenerentur ad auctiora stipendia. Ita *Fraxin: sup:* § *24. n. 2. 3. 4. & 5.*

Quæres XIII. Casu quo, Presbyteri sine notabili expensa, ac incommodo nequiverint recuperare stipendium Missarum jam celebratarū si postea ab illo eodem petantur Missæ magno numero, & quidem numeratâ pecuniâ, possint quasi titulo compensationis diminuere Missas recens petitas animo resarciendi damnū expensarū, quas facere coacti sunt in recuperando stipendio Missarum aliàs celebrandarum?

Respondeo, affirmative, quia ex unâ parte, non minùs ex justitia tenetur petens Missas solvere iustum stipendium Sacerdoti eas dicenti, quâm tenetur Sacerdos, qui recipit stipendium, eas dicere: ex alia parte, in obligationibus datur compensatio (ut tradunt communiter DD. cum P. Nav: *lib: 3.*

lib: 3. de reſtit: c. 1. à num: 392.) cùm ergo Presbyteri in præſenti caſu iniuſte paſſi ſint damnum, & aliunde non poſſint illud reparare, ut ſuppono, non video, cur non poſſint ſibi conſulere beneficio compenſationis, minuendo modo dicto numerum Miſſarum poſt illationem talis damni cõmendatarum; intellige, dummodo id non cedat in præjudicium tertij innocentis, quod hic ſuppono, & omninò ſupponendum eſt, ut patet.

Nec obſtat huic reſponſioni Decretum Sacræ Congregationis, præcipiens, ut abſolute celebrentur tot Miſſæ, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint: ſiquidem Sacra Congregatio loquitur de Miſſis debitis ex ſtipendio; cùm tamen in præſenti caſu Miſſæ, quæ modo dicto omittuntur ad faciendam juſtam compenſationem, non poſſint dici debitæ ex ſtipendio, quantumvis

ſolutum fuerit ſtipendium ipſis reſpective correſpondens, quippe quod dato jure compenſationis, fictione, ut ita dicam, juris, non cenſetur ſolutum pro Miſſis; ſed in compenſationem damni aliàs injuſte illati, & conſequenter, quoad inducendam obligationem celebrandi dictas Miſſas, perinde ſe habet, ac ſi reverâ non fuiſſet ſolutum.

Quæres XIV. An Regulares faciant contra præſentem prohibitionem, ſi recipiant onus celebrandi Miſſam quotidianam per 100. annos abſque implicatione pecuniæ ad talem effectum ſolutæ.

Reſpondeo, non facere; cùm ſub præſentem prohibitionem cadunt ſolùm onera Miſſarum perpetua, quale non eſt onus celebrandi per 100. annos, quamvis aliàs in favorabilibus perpetuum dicatur tempus infra 100. annos, & multò magis ſpatium 100. annorum, quod item procedit in odio-

odiosis, in quibus *perpetuum* proprie significat tempus non habens certum finem, juxta *l. Iuris peritos: ff: de excusat: tut*: Ita *Bordon: sup: n. 36.* & meo judicio satis probabiliter.

Quæres XV. An Regulares habentes incorporatum Monasterio capitale fructuum 60. aureorum pro obligatione Missæ quotidianæ perpetuæ, consistens in molendino; si eveniat, eos in reficiendo molendino notabilem summam pecuniæ expendere, possint in compensationem per aliquot annos cessare â celebrandis illis Missis, saltem ex parte; vel certe teneantur eas omnes celebrare, sicut antea.

Respondeo, non posse absque consensu Sacræ Congregationis. Et probatur: tûm quia talis cessatio est quædam reductio Missarum, quam nullus inferior Papâ facere potest, ut expresse statuitur in allegatis Decretis.

de celebrat: Miss: §. *ca 1.* tùm, quia acceptans capellaniam obligantem ad Missam quotidianam, tenetur quotidie celebrare, nec potest propria authoritate Missas diminuere, quantumvis Capellania sit tenuis; ergo à fortiori non poterit diminui numerus Missarum in nostro casu, quo receptum est competens stipendium; tùm quia expensæ factæ in refectione molendini augebunt reditus provenientes ex ipso molendino, sicque fiet justa compensatio, absque eo, quod diminuantur Missæ iniunctæ. Ita in terminis *Bordon: sup: n. 30.* & bene.

Quæres XVI. An Regularis, qui modo bona fide unicâ Missa satisfecit obligationi plurium Missarum, ubi devenit in malam fidem, teneatur ad aliquam restitutionem. v. g. postquam cognovit non ampliùs posse practicari doctrinam illam aliàs probabilem, quòd unicâ Missâ satisfieri possit plurimum Missarum obligationi.

Resp:

Resp: Licet in isto casu Sacerdos non teneatur id ratione iniustæ acceptionis, cùm hîc ob fidem bonam nulla culpa interveniat, tamen tenetur ratione rei acceptæ, (ut tenetur quicunque bonâ fide recepit rem, quam putat suam, aut censet acquirere justo titulo, si postea deprehendat rem non fuisse suam, aut non fuisse acquisitam justo titulo) sicque Sacerdos agnita veritate debet vel applicare aliam Missam, vel restituere stipendium.

Quæres XVII. An Prælati Regulares possint diminuere numerum Missarum saltem ad tempus, ut si aliquo anno contingat fundum pro Missis legatum aut nullos producere fructus, aut valde tenues? Respondeo non posse, si id raró contingat. Ita, *Fraxin sub sect: 7. § 5. num: 9.* cum *Rodriquez:* & Perez: Patetque. Tùm quia fructus unius anni, compensatur excessu alterius: Tùm quia etiam in

am in contractibus civilibus, contrahentes debent esse expositi tùm lucro, tùm damno: alias non servaretur æqualitas: Tùm quia quibus annis excrescunt fructus fundi legati pro Missis, non ideò magis multiplicantur Missæ: ergo neque debent diminui, ut sic incommodum reguletur à commodo, juxta dicta superiùs. Dixi, *si id rarò contingat*: ut innuerem, quòd si sæpiùs contingeret fundum relictum pro Missis, nullos, aut tenues fructus reddere, tunc puto locum habere declarationem Sac: Congregationis *quæst: 3.* relatam.

Quæres XVIII. An præsens prohibitio admittat levitatem materiæ, ut si quis semel tantùm unicam Missam applicet duobus diversum stipendium offerentibus?

Respondeo. Potuisse olim sustineri sententiam affirmantem, tùm quia parvitas materiæ locum habet etiam in debitis ex justitia: tùm quia D.D. oppo-

poſiti docent, omittentem Miſſam
beraliter promiſſam, non peccare
ortaliter, ergo nec peccabit omit-
ens ex contractu oneroſo, nimirùm
x accepto ſtipendio, neque enim in
no caſu infertur gravius damnum
pirituale, quàm in altero, ſupra da-
nnum ergo ſpirituale cùm interve-
iat ſolùm damnum temporale pro-
edens ex de fraudatione unius ſti-
endij, & hoc ſine dubio de ſe grave
on ſit, patet, quòd ſicut in multis
lijs materijs tranſgreſſio excuſatur à
eccato mortali ratione parvitatis
nateriæ. ita & violatio huius prohi-
bitionis.

Confirmatur, quia in judicanda gravitate damni Spiritualis non debet conferri damnum ſpirituale, cum corporali (aliàs promittens ſemel orationem Angelicam, & omittens, mortaliter peccaret, cùm [damnū proveniens ex omiſſione talis orationis, ut ſpirituale, anteferri debeat cuicunque bono tempo-

temporali) ſed conferri debet d
mnum temporale cum temporali, ſp
rituale cum ſpirituali, quod damnu
non eſſe grave in præſenti, jam d
ctum eſt. Quia tamen Sententia h
contrait nunc deciſioni fel: rec: Al
xandri Papæ VII. ideò huic ſta
dum.

Quæres XIX. An ſine præiudici
Decretorum Sacræ Congregationis l
cite poſſint Sacerdotes plura ſtipen
dia pro una Miſſa accipere, quand
id fiat de petentium conſenſu, (v
interpretativo, vel expreſſo.

Reſpondeo affirmative, tum qu
ſcienti, & volenti, non fit injuria
tum qui ceſſant omnes illi fines, qu
bus Sacra Congregatio mota fuit a
condendum dicta Decreta, ut ea in
tuenti conſtabit. Nota tamen, hun
conſenſum dare non poſſe hærede
legatarios, aut alienæ voluntatis e
xecutores, cùm iſti non ſint Domini
ſed Miniſtri.

Quæres

Quæres XX. Quomodo Sacra Con-
gatio præcipiat, ut pecunia, aut
a mobilia investiantur in bonis
mobilibus?

Respondeo. Intentum Sacræ Con-
gationis esse, ut ex fructibus tali-
bonorum investitorum sustentari
sint Sacerdotes in futurum cele-
turi tales Missas. Emenda ergo
nova proprietas, quæ actu fructi-
et, ut ex fructibus ali possint Sa-
rdotes celebraturi. Hoc enim im-
rtat proprie verbum *investire*, quo
itur Sacra Congregatio, & per con-
quens hæc est mens ipsius: sufficit
tem reficere, seu renovare aliquam
oprietatem Monasterij, domum v.
eam reddendo fructiferam, ita ut
eius locatione actu percipiatur an-
i fructus, vel vineam, ita ut ex ipsa
iam fructus percipiantur. Item si
ensus impositus esset super aliquod
num stabile fructiferum Monaste-
tunc extinctio illius esset quædam
virtu-

virtualis investitio talis pecuniæ in bono stabili fructifero, novos fructus fructificante, cùm per illam accrescerent Monasterio illi fructus, qui in solutione redituum censûs expendebantur, & per consequens salvaretur intentio Sacræ Congregationis.

Onus porrò celebrandarum Missarum non incipit à die acceptatæ, aut depositatæ pecuniæ pro ipsis celebrandis, sed à die implicationis, seu investituræ. Ratio est quia solùm ab hoc tempore incipit data pecunia esse fructuosa; aut afferre utilitatem Ecclesiæ. Nec obstat, interim privari animas defunctorum legantium Missarum suffragijs: quia hoc provenit ex difficultate inveniendi bona fructifera, in quibus implicari possit ea pecunia. Unde potiùs id imputari debet Hæredibus testatoris qui si prædium, vel aliquam rem immobilem Ecclesiæ pro onere Mi[illegible] legatæ tradidissent, utiq; Ecclesia [illegible] obligationi satisfecisset.

Quæ

Quæres XXI. An licet anticipare Missas, id est, dicere illas ante præfixum tempus à testatore, vel institutore?

Respondeo: Licere, nisi contrarium expresse declaretur ab illo. Quia generaliter loquendo, anticipata solutio nullo modo præiudicat, sed prodest creditori. Unde Sacerdos obligatus ad dicendum 15. Missas v. g. singulis Mensibus, potest hoc Mense dicere 30. pro præsenti, & sequenti: secùs dicendum, quando designatio temporis pro Missis dicendis facta est à testatore propter aliquam rationabilem causam, ut si instituit Missam Feria 6. in honorem Passionis Domini, & Sabbatho pro Beata Virgine, aut propter aliquem decorem Capellæ, vel Altaris, commoditatem populi accedentis illas, &c.

Anticipare autem Missas, ipsas applicando pro illis, qui postea daturi sunt Eleemosynas, prohibitum est à

Sacra Congregatione Concilij, ut videre est apud *Tamburinum tom. 2. de jure Abbatum, Disp. 5. q. 9. Lezanam tom. 5. Voc. Missa.* Quam declarationem, & sententiam emanâsse à fel. rec. *Paul. V.* refert *Franciscus Sosa in libello de non fundandis novis Conventibus in Regno Castellæ p. 2. Barbosa* verò loco citato vult emanâsse à *Clemente VIII.* cùm tamen huiusmodi declaratio die 15. Novembris 1605. sit data, quo tempore erat Summus Pontifex *Paulus V. & Clemens VIII.* die 3. Martij eiusdem anni decesserat; vnde causa huius diversitatis orìri potest ex hoc, quòd opinio de Missis anticipatis fuit delata ex Hispania, & Clementi VIII. exhibita, & ab eodem *Sacræ Congregationi* prædictæ commissa, in eaque decidenda contigerit mors supradicti Pontificis, & promulgata fuerit tempore *Pauli V.* Sed hoc parum ad nos: sufficiat, hoc declaratum fuisse à Sacra Congregatione.

Quæres

Quæres XXII. An poſſit quilibet etiam vivens ſibi Officium defunctorum, & Miſſam pro defunctis celebrari facere?

Reſpondeo: Optimum eſſe conſilium id facere, ne forte poſtea hæredes, ut frequenter fit, & pigri ſint, & negligenter ſe gerant in huiuſmodi ſuffragijs faciendis cum detrimento animarum ipſorum defunctorum. Primò, quia credi par eſt, ita inſtitutum eſſe à Chriſto hoc ſacrificium, & ab Eccleſia tale officium mortuorum, ut prodeſſe poſſent ei, cui applicantur pro quacunque neceſſitate & occaſione, in qua futurus ſit capax effectûs illorum, ita ut interim non maneat ſuſpenſus, ſed veluti reſervatus in acceptatione Divina, eò modo, quo docent Theologi, merita mortificata per peccatum, manere in DEI acceptatione retribuenda, dum homo capax illorum fuerit. Unde non applicantur ſimpliciter pro vivis,

ſed mortuis, quia applicantur vivis, pro tempore, quo mortui fuerint. Secundò, quia ita geſſiſſe inſignes viros pietate & doctrinâ, conſtat ex hiſtorijs nam de *Alberto magno* id refert *Ferdinandus de Caſtello in Hiſtor. gener. S. Dominici p. 2. lib. 3. cap. 46.* & de *Henrico Comite de Ratenec. Epiſcopo Ratisbonenſi VViguleus Hundus in Hiſt.* Quod etiam imitati ſunt, teſte *Lezana* loco citato plures alij pietate & devotione conſpicui. Tertiò, quia id favet non modò devotioni, ſed etiam humilitati, & memoriæ mortis, quæ admodum utilia ſunt hominibus.

Limitant tamen aliqui, dummodò non dicantur eæ orationes, quæ ſupponunt aliquem obijſſe v. g. Oratio *Inclina Domine, in qua dicitur, quam de hoc ſæculo migrare juſsiſti,* ne mendacium committatur. Sed contra, in Miſſis defunctorum dicimus in offertorio, *ne cadant in obſcurum, ne abſorbeat eas tartarus,* hoc eſt: ne ani-

mæ ad

næ ad purgatorij pœnas detrudantur, cùm tamen ibi iam ſint, vel fuerint, & tamen nullum mendacium ommittitur, quia tunc Eccleſia repræſentat illas animas Chriſto, ac ſi unc eſſent e vita diſceſſuræ, eaſque onſiderat quaſi adhuc agonizantes, ic in caſu præſenti, vt veritas ſalva perſiſtat, ſufficit ſi Eccleſia & Sacerdos oret pro vivo, & repræſentet eum Chriſto Domino, ac ſi jam vitam cum morte commutaverit.

Quæres XXIII. Utrum Sacrificium Miſſæ pluribus applicatum æque proſit cuilibet, ac ſi pro ipſo ſolo applicaretur?

Reſpondeo, quod licet illud ſumptum pro Orationibus, cœremonijs &c. applicatum pluribus non æque proſit cuilibet, ac ſi pro ipſo ſolo applicaretur, cùm valor & effectus ipſius iſto modo finitus ſit, omne autem finitum ſi dividatur inter plures, minùs participatùr á quolibet, quàm ſi

ſoli ipſi communicaretur. Nihilominùs ſumptum ſecundo modo, ſcilicet pro eo, in quo conſiſtit eſſentialiter ratio Sacrificij, dicendum eſt contrarium; ſcilicet quòd pluribus applicatum à Sacerdote, tantum prodeſt cuilibet, quantum ſingulis, ita ut nihil detrimenti accipiat ille, pro quo Miſſa celebratur, ſi pro alijs etiam applicetur. Colligitur primò ex *Canone 23. non mediocriter de conſecr: diſt:* 5. ubi ex *Divo Hieronymo* (eſto ea ſaltem omnia in ipſo non reperiantur) ſic habetur. *Cùm igitur pro cunctis animabus Pſalmus, vel Miſſa dicitur, nihil minùs, quàm ſi pro uno quolibet ipſorum diceretur, accipitur.* Colligitur ſecundò ex infinitate valoris Miſſæ, quemadmodum enim ſi in mari eſſet aqua infinita, quantumvis infiniti homines ex eo aquam haurirent, poſſent omnes quantum vellent aquæ haurire ſine detrimento aliorum & abſque eo quòd

mare evacuaretur : infinitum enim inexhauribile est, & finiri non potest. Ita similiter de Sacrificio Missæ affirmandum est. Colligitur tertiò, exemplo Passionis, & meritorum Christi ex eo enim quòd valor illorum infinitus est, possunt pluribus applicari sine detrimento alicuius, & pluribus applicata, æque prosunt unicuiq; ac si pro illo solo applicarentur, ergo à pari, &c.

DECRETUM *S. D. N. PAPÆ* URBANI VIII.

Feria V. die 14. April: 1633. editum, de Observantia Constitutionũ Apostolicarũ, ac Decretorum pertinentiũ ad S. Officiũ, sub pœna privationis Officij, & vocis activæ ac passivæ ipso facto, alijsq; pœnis arbitrio Suæ Sanctitatis, legendũ Feria 6. post octavam Assũptionis B. V. MARIÆ.

SAnctissimus Dominus noster sedulò incumbens, ut ea, quæ salubriter Apo-

ter Apoſtolicis decretis, & conſtitutionibus ſtatuta,& ordinata ſunt, præſertim quæ ad ſanctum Officium Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem pertinent, inviolabiliter obſerventur, & omnimodam ſortiantur executionem, diſtricte mandat, & præcipit, ut omnes Superiores cuiuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ Regularis, ſive cuiuſvis alterius inſtituti, etiam quantumvis exempti, & privilegiati, teneantur ſub pœna privationis Officij, ac vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, alijſque arbitrio Sanctitatis ſuæ infligendis, in perpetuum ſemel ſaltem in anno, id eſt, feria ſexta poſt Octavam Aſſumptionis Beatæ MARIÆ Virginis in publica menſa, vel in Capitulo ad hoc ſpecialiter convocato, & inſuper in quocumque Generali, ac Provinciali Capitulo, Conventu, Dieta, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari

ulari congreſſu, ſuos ſubditos, ac Re-
igioſos commonere de iniuncta o-
mnibus obſervantiâ, & executione ea-
rundem Apoſtolicarum conſtitutio-
num, & decretorum ad S. Officium
Inquiſitionis adverſus hæreticam pra-
vitatem pertinentium ac præſertim.
Iulii III. Conſtit: incipit, *Licet à diverſis*, contra impedientes Inqui-
ſitores hæreticæ pravitatis in eorum
Officio aut in cauſis Inquiſitionis ſe
ingerentes, eorumque complices, &
fautores; & contra ipſos Inquiſitores
admittentes Laicos ad criminis hære-
ſis cognitionem. Et Pij V. conſtitut:
82. incipit: *Si de protegendis*, contra
occidentes, verberantes, deijcientes,
aut perterrefacientes quemvis ex mi-
niſtris S. Officij Inquiſitionis, vel Epi-
ſcoporum id munus in ſua diœceſi,
vel Provincia, obeuntium accuſatorē,
denuntiatorem aut teſtem, in cauſa ſeu
fidei quomodocūque productum, vel
evocatum: nec non contra diripien-

tes, expugnantes, invadentes, incendentes, expilantes, aliòve exportantes alicuius prædictorum bona, libros, literas, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliàve instrumenta, sive publica, sive privata, ubicumque posita, eorũ que complices, & fautores: & contra effringentes carcerem, vel custodiam publicam, vel privatam, extrahentes, vel emittentes vinctum, prohibentes capiendum, captumve eripientes, recipientes, occultantes, seu facultatem effugiendi dantes, seu id fieri jubentes, eorumque complices, & fautores etiam effectu non secuto, nullatenus excusandos, nisi claras tantummodo probationes cõtrarium adducentes; & contra intercedentes pro præfatis delinquentibus; inflictis contra quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite legis Iuliæ Maiestatis, eorumq; filijs irrogantur: & oblata revelantibus impunitate.

Pij IV. conſtitut: 23. incipit, Cum ſicut nuper, contra Sacerdotes, qui pœnitentes mulieres in actu Sacramentalis confeſſionis ad inhoneſtos actus provocare, & allicere tentant, & ſolicitant. Et Gregorij XV. conſtitut: 4. incipit, *Univerſi Dominici gregis*, ampliativæ circa hujus criminis probationes, & extenſivæ contra Confeſſarios, qui perſonas (quæcumq; illæ ſint, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum alijs quomodolibet perpetranda in actu ſacramẽtalis confeſſionis, ſive ante, ſive poſt immediate, ſive occaſione, vel prætextu confeſſionis, vel extra occaſionẽ confeſſionis in confeſſionario, aut alio in loco ad audiendã confeſſionem electo, ſolicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint. Et contra Confeſſarios non monentes eos, quos ſciunt ab alijs Confeſſarijs ſolicitatos eſſe, ut Inquiſitoribus, vel Ordinarijs

ſolicitantes denuntient, vel docentes eos ad ita denuntiandum non teneri.

Gregorij XIII. *conſtit: 22.* incipit, *Officij noſtri partes*, de juriſdictione Inquiſitorum hæreticæ pravitatis in eos, qui ad ordinem Presbyteratûs non promoti, Miſſas celebrant, & ſacramentaliter confeſſiones audiunt. *Clement: VII. conſtit: 81.* incipit, *Et ſi alias*, declaratoriæ pœnæ contra eos infligendæ per Iudices Laicos, prævia eorum degradatione. Et Sanctitatis ſuæ *conſtit: 79.* incipit, *Apoſtolatus officium*, extenſive ad minores 25. annis, dummodo vigeſimum ætatis annum compleverint.

Sixti V. conſtit: 17. incipit *Cæli, & terræ Creator*, contra exercentes artem Aſtrologiæ judiciariæ, & alia quæcunque divinationum genera, libroſve harum artium legentes, vel tenentes. Et Sanctitatis ſuæ conſti-

tut:

ut: 113. incipit, *inſcrutabilis judiciorum* D E I, extenſive ad alia, & cum gravioris pœnis.

Clementis VIII. conſtit: 42. incipit, *Cùm ſicut*, contra Italos, ne extra Italiam proficiſcantur ad loca, in quibus liber cultus, ſive uſus Catholicæ Religionis non exiſtat, minuſque in eis locis habitent. Et Gregor: XV. conſtitut. 28. incipit, *Romani Pontificis*, contra hæreticos, ne in locis Italiæ, & Inſularum adjacentium quovis prætextu commorentur, & contra eorum fautores, & receptatores.

Pauli V. conſtit: 26. incipit, *Romanus Pontifex*, revocatoriæ facultatum Superioribus quorumcunque Ordinum, & Religioſorum quoquomodo conceſſarum, cognoſcendi cauſas ſuorum ſubditorum ad Officium S. Inquiſitionis quomodolibet pertinentes.

Ejuſdem conſtit: 97. incipit, *Regis pacifici*

pacifici, innovatoriæ constitutionum à Sixto IV. & Pio V. de Conceptione Beatæ MARIÆ Virginis editarum: impositionis majorum pœnarum intransgressores, à locorum Ordinarijs, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus puniendos. Et Gregor: XV. constit: 29. incipit *Sanctissimus Dominus noster auditis* ampliativæ, & declaratoriæ prohibitionis asserendi, Beatam MARIAM Virginem conceptam esse in peccato originali.

Gregorij XV. constit: 27. incipit, *Romanus Pontifex in specula*, revocatoriæ quarumcunque concessionum vivæ vocis oraculo factarum. Et Sanctitatis suæ constit: extensivæ adquoscumque quantumvis privilegiatos, & exemptos, incipit, *Alias fel: recor: Gregor: Papæ XV. sub dat: Romæ 20. Decembr: 1631.*

Ejusdem constit: 40. incipit *Apostolatus officium*, & Sanctitatis suæ constit: 114. incipit *eo modo*, revo-

catoriæ

ctoriæ licentiarum quarumcũque legendi, & habendi libros prohibitos.

Sanctitatis suæ constitut: 37. incipit, *Sanctissimus Dominus noster solicitè animadvertens* de imaginibus nondum à Sede Apostolica canonizatorum, vel beatificatorum cum radijs, splendoribus, aut laureolis, non proponendis: tabellis, aut luminaribus ad eorum sepulchra non apponendis, eorumve gestis, miraculis, revelationibus, beneficiorum impetrationibus, non publicandis, aut imprimendis.

Pariter Sanctitatis suæ constitut: 50. incipit *Sanctissimus Dominus noster pro debito sui Pastoralis Officij,* de libris ubicunque compositis, de quacunque materia tractantibus, ab his, qui leguntur in statu Ecclesiastico, non transmittendis aliò, ut imprimantur, sine Vicarij, & Magistri sacri Palatij in Urbe, vel extra eam sine Ordinarij, & Inquisito-

ris, aut

ris, aut ab eis Deputatorum licentia.

Et ejusdem Sanctitatis suæ constit: sub dat: Romæ die 5. Novembris, 1631. incipit, *Cum sicut accepimus*, quòd constitutiones Apostolicæ in concernentibus Fidem Catholicam, & S. Inquisitionis Officium hactenus editæ, & imposterum etiam super quacunque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, nisi in edendis illis specialiter excipiantur.

Et insuper ijdem Superiores teneantur curare, & efficere, ut huius decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conserventur, ita, ut âb ijsdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commode queant. Deque huiusmodi commonitione publico documento statim certiorem facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis inquisitionis in Urbe. Et ita mandat & præcipit Sanctitas sua.

DU-

DUBITATIONES
Ad Hoc Decretum.

Quæres I. An non legentes hoc Decretum peccent mortaliter? Respondeo, affirmative. Tùm quia est omissio in re gravissima, cùm in Bullis huius Decreti directe & immediate disponatur de materia, in Ordine ad Conservationem, & manutentionem sanctæ Fidei, & destructionem hæreticæ pravitatis. Tùm quia hanc obligationem sub mortali indicant illa verba *Districtè mandat ac præcipit*, quæ de se insinuant gravem obligationem, maxime quando simul junguntur *Sanchez: lib: 6. c. 4. n. 35.*

Quæres II. An acta Capitulorum Generalium, & Provincialium, in quibus commonitio de observatione huius decreti neglecta fuit, sint nulla? Respondeo negative, quia ex eo non annullantur, neque vocales per illius omissi-

omiſſionem ſunt privati facultate & jure peragendi acta ſui Capituli, cùm pœna privationis afficiat tantùm ſuperiorem Capituli negligentem commonere vocales de obſervantia illarum Bullarum.

Quæres III. An puniendi ſint ſuperiores ſub dominijs quorundam Principum, non audentes hoc Decretum legere ex prohibitione ſibi facta â Miniſtris illorum? Reſpondeo, negative: Quia ſicut metus gravis, qui ſolet timeri ex imperio horum magnatum, excuſat â culpa, ita & à fortiori à pœna, quæ neceſſariò ſupponit culpam.

Quæres IV. An ſuperiores ſuo muneri ſatisfaciânt per commonitionem, ſine formali lectione huiuſmodi Decreti?

Reſpondeo, Licet in Decreto dicatur, *ſuos ſubditos, ac Religioſos commonere de injuncta omnibus obſervantia &c.* Nihilominus *li commonere*,

impor-

importare lectionem. Tum quia in Decreto fit mentio de publicatione harum Bullarum, quæ non fit nisi per publicam lectionem. Tum quia finis summi Pontificis per hanc commonitionem est, ut Religiosi deveniant in cognitionem huiusmodi constitutionum ministerio sui Superioris, per simplicem autem commonitionem in eam venire non possunt. Demum in hoc Decreto compendiose registratur substantia singularum Cōstitutionum hujus materiæ, ad effectum ut scientifice & doctrinaliter subditi commoneantur, quod fieri non potest sine formali lectione hujus Decreti, ergo &c.

Quæres V. An impedientes ne legantur huiusmodi Decreta, sint suspecti de hæresi, & pro fautoribus Hæreticorum sint habendi? Respondeo, quòd sic, quia efficiunt ut Fideles remaneant immemores eorum, quæ spectant ad tuendam fidem, & hære-

hæretici liberiùs errores ſuos ſeminare valeant, dùm ſciant pœnis Bullarum huiuſmodi puniri non poſſe, cum illæ publicatæ, neque receptæ fuerint in illorum ſententia.

Quæres VI. Quomodo deferenda ſit ſcheda fidem faciens lectionis habitæ de huiuſmodi Decreto?

Reſpondeo. Quòd cum Pater quidam Societatis Generalis, viſis & conſideratis dictis declarationibus ſupplic.ſſet Sacræ Congregat: ut dignaretur declarare infra ſcripta dubia pro Societate nimirum, primum, ubi non ſunt *Inquiſitores* (prout in *Germania &c.* vel ſi ſunt non ſunt deputati à *Sede Apoſtolicà*, cui præſentari debeat præfata fides: ſecundum, an ſufficiat, quòd dictæ fides ſubſcribantur à ſuperiore locorum, & à ſuis Conſultoribus, non autem ab omnibus Religioſis ei ſubjectis, ad evitandam confuſionem in illis locis, in quibus cõmorantur quinquaginta, centum, &

lucenti Religioſi, die 21. Maij. 1638.
Reſpondit Sacra Congregatio ad primum. Quòd præſentent fidem publicationis Decreti *Nuntio Apoſtolico*, aut mittant Patri *Generali*, qui eam præſentet Sancto Officio Urbis. Ad ſecundum. Sufficere inſcriptionem Superioris, & duorum Conſultorum. Quæ duæ declarationes videntur poſſe ſuffragari etiam Religioſis aliorum Ordinum (& præſertim prior) ita tamen, ut loco duorum Conſultorum, ſubſcribant duo Diſcreti, aut Vocales, aut Seniores, juxta uſum Ordinis.

Accedamus nunc ad Materiarum explicationem, quæ in allegatis Pontificum Bullis comprehenduntur, & ad maiorem earum intelligentiam deſerviunt.

Primò *Julij III.* & *Pij V.* Bulla agit de *Inquiſitoribus* in ſacro Inquiſitionis hæreticæ pravitatis officio verſantibus. Circa quam.

Quæres I. Quid requiratur ut pœ-

næ huius Bullæ incurrantur? Respō-deo: Ex parte offendentium, necesse est, ut offendant in odium & contemptum *Sancti Officij*, non ex privato odio alia ex causá concepto. Ex parte offensi autem, quòd actu sit Minister Sancti Officij, aut si jam non est, ut offensus fuerit ex aliqua causá eiusdem Officij. Prima pars probatur. Tum quia id expresse dicitur in Bullá illis verbis: *Qui tantum nefas in contemptum & odium hujus Officij admiserit*, tum quia Papa per suam Bullā intendit protegere *Officium* sanctæ Fidei, & respectu illius Personam eius Ministrum, sed Persona offensá non spectatur ut Minister Sancti Officij, quando offensio aliunde causata fuit, quàm intuitu servitij præstiti sancto Officio, ergò &c.

Secunda pars, quòd offensus debeat esse Minister actu. Probatur. Tùm quia verba formaliter accipienda sunt,

da ſunt, & non per accidens, tum quia hoc idem ſpecificatur de Epiſcopis ibi *id munus in ſua Diœceſi*, & de teſtibus ibidem, *aut teſtem in cauſa Fidei*.

Tertia pars, quòd Miniſter gaudeat hac protectione, quando functo officio offendatur intuitu officij. Probatur, quia hæc offenſio eſt in odiũ ſancti Officij, cùm ex beneficio præſtito illi, offendens moveatur ad offenſam.

Quæres II. Pro quo præſumendũ eſt, quando dubitatur, an offenſa illata fuerit ex contemptu ſancti Officij, an ex alia cauſa? Reſpondeo. Quando offendens, vel ei conſanguineus querelatus fuit, vel punitus ex cauſa offenſi ſancti Officij tunc offenſa præſumitur facta intuitu ſancti Officij, non verò quando nihil horum præceſſit, quia in hoc caſu nulla ratio ſuadet huiuſmodi præſumptionem, ſicut in primo caſu.

Quæres III. Qualis debet eſſe affectus, ex quo ſequantur actiones in Bulla prohibitæ? Reſpondeo. Debet eſſe aliquis actus exterior & proximus delicto, neque enim leges puniunt voluntatem male agendi, ſed actum exteriorem pravæ voluntatis effectum. Confirmatur. Quia agitur de re odioſa ac proinde reſtringenda. Actiones porrò prohibitas vide in Bulla.

Quæres IV. An non obvians ijs actionibus prohibitis, cùm poſſit, fiat reus Bullæ? Reſpondeo. Non obvians ſe habendo mere negative, id eſt, non influendo phyſice, neque moraliter, huius Bullæ reus non eſt, quia in ea prohibentur actus mere poſitivi, *ut occidere, verberare, præſtare auxilium*: Non obvians verò per actum poſitivum, v. g. abſcondendo arma Miniſtro Eccleſiæ, qui non poſſit ſe defendere, incurrit pœnas, quia actione poſitivâ hîc prohibitâ offen-

dit Ministrum. *Ita Carena Parte 2. tit: 15.*

Quæres V. An ratum habens, seu approbans aliquid ex actionibus illis prohibitis, sit reus? Respondeo, quòd non. Quia ne verbum quidem est de hac actione in Bulla, & in materia odiosa utpote stricta, non est facienda extensio de persona ad personam, de delicto ad delictum. Et licet in iure ratihabitio comparetur mandato, non tamen est mandatum, nisi quoad fictionem juris.

Quæres VI. An lacerare, removere, aut deputare, seu comburere Edictum sanctæ inquisitionis, affixum in locis solitis sit casus in Bulla comprehensus? Respondeo negative. Quia in Bulla fit mentio de intervertentibus, diripientibus, seu comburentibus res, quæ actu sunt sub potestate Inquisitoris, folia autem Edicti affixa non ampliùs sunt sub manibus Inquisitoris.

 Quæ-

Quæres VII An iniurians Ministrum Sancti Officij, ſit reus Bullæ? Reſpondeo negative. Quia actiones in ea prohibitæ habent pro objecto res corporales & materiales, non opus linguæ, nec fit mentio de injurijs, quare Bulla cùm ſit odioſa, extendēda non eſt, niſi ad expreſſa.

Quæres VIII. Quibus pœnis hæc Bulla afficiat offendentes ſanctum Officium? Reſpondeo. Prima eſt, Excommunicatio latæ ſententiæ. Secunda eſt, incurſio pœnarum criminis læſæ Maieſtatis. Tertia eſt, confiſcatio omnium bonorum. Quarta, filij horum ſunt infames, ſicut eorum Patres. Quinta, ijdem filij ſunt incapaces cuiuſcunque hæreditatis, ſucceſſionis, donationis, aut legati, â quocunque ſibi factorum. Sexta, perpetuò inhabiles ad dignitatem, tam Patres, quàm filij. Huiſmodi autem gravioribus pœnis non puniuntur pro qualibet ex dictis actionibus prohibitis

bitis delinquentes ſed tantùm quando læditur Inquiſitor, vel quivis alius Miniſter occiditur. Et in his caſibus ſolent Inquiſitores conſulere ſupremum tribunal. Vide *Dian: parte 4. tract: 7. reſolut: 13. §. non deſinam.* ſupradictæ pœnæ incurruntur etiam per Eccleſiaſticos, tam Sæculares, quàm Regulares, qui degradati, ſi id gravitas, ſeu enormitas delicti exegerit, traduntur curiæ ſæculari.

Secundo. *Pÿ IV.* & *Gregorÿ XV.* Conſtitutio de Confeſſarijs tractat, qui Pœnitentes dum eos in confeſſione audiunt, ad actus venereos provocant, & ſollicitant.

Quæres I. An ſuperiores Regulares in hac cauſa (idem eſt de reliquis cauſis ſanctæ Inquiſitionis) nunc procedere poſſint contra ſuos ſubditos? Reſpondeo. Olim ſuperiores Regulares erant judices ſuorum ſubditorum in cauſis fidei, & delictis hæreſis ex

Bullis diversorum Pontificum, de quibus *Casarubius, Sorbus, ver. Inquisitor hæreticæ pravitatis, Rodr. tom. 2. quæst. 81.* & antiquiora privilegia erant amplissima, excludendo Inquisitores à cognitione harum causarum respectu Religiosorum, postea *Clem. VII.* & *Pius IV.* ea restrinxerunt, decernendo, quòd Inquisitores possent procedere contra Religiosos, modò à suis Superioribus non essent præventi. Demùm *Paulus V.* & *Vrbanus VIII.* edocti, quod negotia contra hæreticam pravitatem non tractabantur eá diligentiâ, quæ in re tanti momenti necessaria erat, ob diversitatem judicum, revocaverunt quæcunque privilegia, & facultates, alias â Summis Pontificibus prædecessoribus suis concessas, quibuscunque superioribus Regularibus cognoscendi causas suorum subditorum quomodolibet spectantes ad sanctum Officium. Et hoc sub pœnis ipso jure privatio-

ationis Prælaturarum, dignitatum, x Officiorum cum inhabilitate, & rivationis vocis utriusque, atque pœnis inflictis contra fautores Hæreticorum, & impeditores Officij, demùm excommunicatione reservata.

Quæres II. An hac lege ligentur sollicitantes tantùm fœminas? Respondeo. Ligari etiam, qui sollicitant Masculos. Dicitur enim in Bulla *Gregorij Personas, quæcunque illæ sunt*. Nomen autem *Personæ* includit utrumque sexum. *cap. Mulieres*.

Quæres III. Quid veniat verbis illis. *Ad inhonesta?* Respondeo. Venire actus tantùm venereos. Et hoc clare patet ex Bulla *Pij IV.* loquente de mulieribus, quæ ordinarie tentari & provocari non solent nisi ad venerea, & in hoc nihil plus continet Bulla *Gregorij*, leges enim adaptantur ad ea, quæ ut plurimùm accidunt. *L. nam ad ea, ff. de Legib.* Quare Confessarij provocantes ad alia peccata, homici-

homicidij, furti, &c. non ſunt denuntiandi virtute huius Conſtitutionis.

Quæres IV. An Confeſſarius ſollicitans fœminam in actu Confeſſionis, ut tradat ei ſuam Filiam, ſeu aliam perſonam, vel ſi ſollicitet mulierem, vt conſentiat tali amico ſuo, incurrat pœnas huius Conſtitutionis? Reſpondeo affirmativè Patet ex Bullæ *Gregorij* verbis illis, *ſive inter ſe, ſive cum alijs*, mandans tamen, vel rogans Confeſſarium ut Lenonem agat, non ſubditur prædictis Bullis, quia in his fit mentio tantùm de Confeſſarijs ſollicitantibus, mandans autem, vel rogans, non ideò eſt Confeſſarius.

Quæres V. Utrum Sacerdos has pœnas incurrat, ſi ſollicitet fœminam miniſtrando ei alia Sacramenta? v. g. *Baptiſmi*, *Euchariſtiæ* &c. Reſpondeo negative. Quia cùm conſtat de Legislatoris mènte, legis extenſio fieri non debet, nec coniecturis locus relinquitur, & conſtat ex Bullis, Pontificem

ficem ſolùm voluiſſe obviare abu-
bus, qui in Sacramento Pœnitentiæ
iciliùs & commodiùs fieri poſſunt,
rgo &c. Nec his obſtat, quòd ini-
io Bullæ fiat mentio de Sacramentis
ndiſtincte, quibus fit injuria, ac pro-
nde ſuſpicio hæreſis non magis ori-
ur ex abuſu huius Sacramenti pœ-
nitentiæ, quàm aliorum. Quia illa
verba non ſunt diſpoſitiva ſed tantùm
narrativa, quæ licet moveant legiſla-
orem ad diſponendum, non tamen
cogunt illum ad ferendam legem,
juxta rationem expreſſam in narra-
tiva, unde quando verba diſpoſiti-
onis ſunt clara, ut in caſu noſtro, il-
lis ſtandum eſt, & pro ratione ſtat
voluntas, quòd pro lege ſua voluerit
comprehendere particularem caſum,
& non alios, præter quam quòd ideò
præfati ſummi Pontifices legem ſu-
am de ſollicitatione reſtrinxerint ad
Sacramentum pœnitentiæ, quia re-

ſpectu aliorum, aut non acciderant casus, aut illis narrati non fuerunt, niſi ſuper Sacramentum pœnitentiæ, quod ſicut frequentiùs miniſtratur, & modo ſecretiori ex ſua conditione, quàm alia, ita circa ipſum ſæpiùs contingere poteſt abuſus ſollicitationis, unde jure meritò ſummi Pontifices circa illud diſpoſuerunt, & non ſuper alijs, in quibus non ſolet contingere abuſus ſollicitationis, nam legislatores non diſponunt circa illa, quæ raro accidunt. *L. nam ad ea, ff. de legib.*

Quæres VI. Quid ſibi velint verba illa, *ſive ante, ſive poſt immediate?* Reſpondeo. A parte *ante* illud ſpatium incipere, cùm pœnitens primò petit pro tunc Confeſſarium, vel ad eum jam expoſitum in Confeſſionali accedit, & inchoat genuflexus confeſſionem, in cuius narratione deſinit illud ſpatium *ante confeſſionem.* Confeſſarius igitur, qui in-

tra id

ta id tempus sollicitat pœnitentem;
iolat Bullam *Gregorianam*, quia sol-
citat pœnitentem immediate ante
onfessionem. Quare Confessarius
on dicitur sollicitasse ad mentem Bul-
æ, qui videns mulierem in stallo ge-
uflexam, ad eam accedit, & provo-
cat ad libidinem, quia huiusmodi ten-
atio non dicitur facta immediate an-
e confessionem, cùm non acciderit
ntra illud spatium. A parte post il-
lud spatium incipit à data absoluti-
one, & desinit postquam pœnitens
recessit à conspectu confessarij, genu-
flectendo, ut fieri solet, extra locum
confessionis in stallo, vel alibi in Ec-
clesia. Quare confessarius postea re-
cedendo à suo loco, & accedendo ad
stallum mulieris, & eam provocando,
non incurrit hanc Bullam, quia solli-
citatio non dicitur facta immediate
post confessionem, cum illud spatium
à confessione dependens, iam desi-
erit per ipsum recessum mulieris, à
conspe-

conſpectu, & præſentia confeſſarij; à fortiori hoc verum eſt, ſi ſtatim proſequatur mulierem ad domum ſuam. Ita *Souſa, Scortia,* & *Trimarchus diſp: 3. num: 59. Carena part: 2. tit: 6. num: 29.* Confirmatur. Tum quia, aliquid fieri immediate, & in continenti coincidunt, ex *Gloſ: ver: in continenti cap: 1. de mutuis petit:* id eſt, nullo actu medio interpoſito, ſed hic intermediat ille receſſus à conſpectu confeſſarij, ergo non dicitur immediate ſollicitare poſt confeſſionem. Tum quia, teſtis dicitur legitime ſuum dictum emendare, quando in cõtinenti, & immediate ſe corrigit, hoc eſt, antequam recedat à conſpectu Iudicis, *Gloſſ: verb. in continenti, cap: Præterea. 7. de teſtib: cog.* Ergo confeſſarius ſollicitans mulierem, quæ jam receſſit à ſuo conſpectu & tribunali, non dicitur in continenti, & immediate poſt confeſſionem ſollicitare, ac proinde neque Bullam hanc violare.

lare. Quod maxime erit verum, quando audivit in confessione alium pœnitentem, nam tunc sine dubio ad alium actum divertit diversum.

Quæres VII. An confessarius vocatus a pœnitente, ut audiat eius confessionem, vel post vesperam, si petit mane, vel sequenti die, vel si petijt statim audiri. Confessarius differat in aliud tempus, & hac occasione confessione postposita, provocet mulierem, vel puerum ad inhonesta, dicatur violare hanc Bullam? Respondeo affirmative. Probatur ex verbis illis, *sive occasione confessionis*. Occasio enim sollicitandi accepta est à confessione petita â persona volente confiteri, data opportunitate illius temporis.

Quæres VIII. Confessarius non invitatus, sed ipse invitans ad confessionem personam, cujus amore captus est, ut sub prætextu confessionis eam provocet ad libidinem potiùs, quàm

ut audiat eius confessionem, transgrediturne Bullam ex vi illorum verborum, *vel prætextu Confessionis.* Respondeo quòd sic. Nam facere aliquid *ex prætextu*, importat facere aliquid sub velamine rei, quæ non est, nec principaliter intenditur, *ex L. sub prætextu C. de transact.*

Quæres IX. An locum habeat Bulla *Gregorij* in eo casu in quo Confessarius dicat pœnitenti. *Peccata tua carnalia me fecerunt in pollutionem incidere, contra meam voluntatem?* Respondeo affirmative. Colligitur ex illis verbis. *Illicitos, aut inhonestos sermones.* Adde, quòd sic valde conturbetur mens pœnitentis, & non levis iniuria fiat Sacramento, quod sancte & immaculate tractandum est.

Quæres X. An Confessarius, qui in confessione pœnitenti dedit literas amatorias sigillatas, ut postmodum eas extra legeret, nihil dicendo, di-

catur ſollicitator contra Bullam hanc? Reſpondeo. Dici omninò ſollicitatorem. Et probatur: Quia à traditione chartæ ex parte confeſſarij incipit inſtigatio ad venerea, & perficitur dùm legitur à pœnitente, ergo violatur Bulla. Confirmatur, nam hoc colligitur, vel ex verbis illis *occaſione confeſsionis*, nemo enim negabit traditionem ſcripturæ ex parte Confeſſarij pendere à confeſſione, & ex parte pœnitentis legi occaſione confeſſionis antea factæ, & intuitu illius, ut obediat in ea legenda confeſſario. Vel ex illis verbis, *immediatè poſt confeſſionem*, immediatio enim fundatur in traditione ſcripturæ inhoneſtæ, cùm inter utrumque nihil mediet.

Quid ſi autem epiſtola non legeretur, ſed combureretur? Dico tunc Confeſſarius non eſſet denuntiandus, quia ignoratur, quid inſcriptura contineatur.

Quæres XI. An laudans mulie-

rem in confeſſione à pulchritudine, venuſtate, &c. violet Bullam? Reſpondeo. Violat. Ratio eſt, tum quia huiuſmodi laudatio cùm ſit impertinens in confeſſione, peccaminoſa eſt graviter, cum ſit incitativa ad libidinem. Tum quia huiſmodi verbis ſolent amantes trahere ad ſe mulieres, quarum amore tenentur, ſunt enim verba amatoria, ac ideo parum honeſta, conſequenter mulier prudẽtem ſuſpicionem habet de ſollicitatione. Adverte autem, ſi Confeſſarius occaſionem ita laudandi ſumat ex fine honeſto, ut quia mulier conqueſta eſt de mala converſatione ſui mariti, qui eſt adulter, & Confeſſarius ſubiungat, *tibi facit injuriam, quia pulchra es &c.* per hæc verba nullam apparere ſollicitationem, cûm ſpecificentur ab alio fine, quàm turpi.

Quæres XII. An Confeſſarius dans donum inſolitum, ut annulum &c. nul-

lam

am explicando causam, propter quam
donavit, vel aliquam, sed non rela-
tam ad sollicitationem, dicatur taci-
tus sollicitator? Respondeo negative.
Tum quia donum ex sua natura non
ordinatur ad venerea, ergo non est
signum sufficiens ad arguendam solli-
citationem. Tùm quia donum mo-
vere etiam potest ad benevolentiam
honestam, gratitudinem, donum ali-
ud pinguius, ergo colligi non potest,
fuisse traditum ex affectu turpitudi-
nis.

Quæres XIII. An non Sacerdos
ministrans hoc Sacramentum, & pœ-
nitentem ad luxuriam provocans, in-
currat pœnas Bullarum? Respondeo,
non incurrit; tum quia in illis ser-
mo est de vero Sacerdote, & non fi-
cto, & leges pœnales de Sacerdoti-
bus loquentes, non comprehendunt
non Sacerdotes, odiosa enim restrin-
genda sunt. Tum quia hîc nulla fit
iniuria Sacramento, cùm nullum sit,

neque confessio illa Sacramentalis est cùm non pendeat à jurisdictione, & potestate Sacerdotali, esto aliàs dictus Sacerdos fictus peccet sacrilegè usurpando potestatem spiritualem, quâ caret. Idem dic de Sacerdote jurisdictione carente. Sicut & interprete confessionis, qui nullatenus fingit, neque fungitur Officio Sacerdotis.

Quæres XIV. An sollicitans Confessarium in actu confessionis, reus sit harum Bullarum: Respondeo negative. Tum quia ibi fit mentio solum de Confessarijs sollicitantibus: Tùm quia obligatio denuntiandi præcipitur solis pœnitentibus sollicitatis in confessione, ex Bulla *Gregoriana*, Confessarius autem licet sollicitatus, adhuc retinet qualitatem Confessarij, ergò &c.

Quæres XV. An sollicitator, sive confessarius, sive fœmina, sint suspecti de hæresi? Respondeo. Esse Con-

fessa-

fessarium, non fœminam. Prima pars probatur, & constat ex Bullæ verbis. *Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide Catholica rectè sentiunt Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis injuriam faciant.* Si ergo bene sentientes de Sacramentis, illis abuti non præsumuntur, ergo qui illis abutuntur, præsumuntur male de illis sentire, ac proinde censentur suspecti de hæresi. Confirmatur, quia Confessarius ita agens præsumitur credere, aut licitum esse uti hoc Sacramento ad inhonesta, aut hoc Sacramentum non remittere peccata, hoc ipso quòd inducit in ipso actu pœnitentem ad opositum, nimirum ad peccandum aut simul stare posse remissionem peccatorum, & eorundem perpetrationem, quod est destruere hoc Sacramentum, quòd ita delet peccatum, ut simul excludat illorum perpetrationem.

Secunda pars, quod mulier sollicitans

tans Confessarium, non sit suspecta, de hæresi. Probatur. Tum quia mulier non accedit ad inhonesta, ergo cùm nullum adsit initium Sacramenti, neque proinde illius abusus, suspicio hæresis locum habere non potest.

Quæres XVI. An pœnitens sollicitatus, sub mortali teneatur denuntiare Confessarium sui sollicitatorem? Respondeo. Tenetur, ut aperte exprimitur in Bulla *Gregorij* illis verbis *mandantes omnibus Confessarijs, ut suos pœnitentes quos noverint, fuisse ab alijs, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus seu locorum Ordinarijs prædictis. Quòd si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra, ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores pro modo culpæ punire non*

negli-

negligant. Huiusmodi autem obligatio sine dubio est sub mortali respectu utriusque cùm agatur de re gravi, uti de abusu Sacramenti, ac proinde eius omissio mortale peccatum erit, præterquam quod id præcipitur in omnibus edictis Inquisitorum sub excommunicatione, quæ non incurritur nisi propter peccatum mortale, & hoc necessariò asserendum est, aliter frustratoriæ essent Bullæ Pontificiæ, & pauci denuntiarent, si solùm tenerentur sub veniali.

Quæres XVII. An Confessarius audiens pœnitentem sollicitatum, teneatur sub mortali monere illum de denuntiatione facienda Confessarij sollicitantis? Respondeo. Sic ex allatis verbis *Gregorij* in præcedenti quæstione, & hoc sub mortali, cùm agatur de re gravi, & verbum *mandantes* importat præceptum sub mortali, ut cum pluribus Doctoribus citatis tenet *Sanch: l. 6. c. 4. n. 35.*

Quòd si pœnitens nolit obedire, nullatenus absolvi potest, cùm existens in peccato mortali inobedientiæ, indignum se reddat absolutione.

Sed quid agendum, quando pœnitens redit ad Confessarium sollicitatorem, ut illi confiteatur? Respondet *Trimarchus disp: 14. n. 59.* quòd Confessarius non tenetur admonere pœnitentem de denuntiatione facienda contra se, quia verisimile est, Papam illi non imponere tam grave præceptum contra seipsum. Confirma. hoc ex verbis ipsis Bullæ. *Ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab alÿs sollicitatos &c.* nam particula *ab alÿs* distinguit Confessarios sollicitantes à non sollicitantibus, ad quos spectat monere. Optime tamen faciet Confessarius, qui in tantum scelus proruperit, si sponte coram Inquisitoribus compareat, & peccatum suum fateatur: mos enim est Sanctissimi illius tribunalis, quòd solùm

úm puritatem fidei, & fidelium emendationem intendit, ut cùm ſponte comparentibus mitiſſime ſe habeat. Et prodeſt etiam iſta ſpontanea comparitio, quòd, ſi Confeſſarius deinde denuntiatus fuerit, non recipietur denuntiatio, cum jam denuntiatus diſceſſerit ab illo Sanctiſſimo tribunali emendatus. Ita monet *Molfes: 1. p. ſum: tract: 7. cap: 24. num: 45. & 46.* qui addit id procedere, etiamſi ſollicitans fuiſſet denuntiatus in uno loco, & ipſe ſponte comparuiſſet ante dictam denuntiationem Romæ. Nam non poſſet ab Inquiſitore prioris loci amplius puniri, emendatus enim in uno judicio, non eſt moleſtandus in alio pro eodem delicto. *Leg: Senatus, ff: de accuſat.*

Quæres XVIII. An perſona ſemel ſollicitata teneatur denuntiare? Reſpondeo. Sic, quia Bullæ ſimpliciter loquuntur de denuntiandis ſollicitatoribus, tam autem eſt ſollicitator, qui

qui ſemel provocat, quam qui plu-ries.

Quæres XIX. An mulier ſollicita-ta, quæ conſentit, teneatur denunti-are cum expreſſione conſenſus. Re-ſpondeo. Perſona ſollicitata, quæ conſenſum præſtitit, tenetur adhuc denuntiare ſollicitatorem, de conſen-ſu autem præſtito nulla mentio ha-benda eſt à perſona ſollicitata, neque ſuper hoc à judice interroganda eſt, imò neque in actis redigendum id eſt, quamvis à pœnitente ſponte de-nuntiaretur. Ratio prædictorum eſt, quia Bullæ Pontificiæ conſiderant præciſe actum ſollicitationis ex par-te Confeſſarij, de quo ſolo mentio-nem faciunt, de conſenſu vero, & co-pula ſequuta non curant, quia ad il-lorum officium non ſpectat. Satis enim Confeſſarius iniuria afficit Sa-cramentum, & redditur ſuſpectus de hæreſi per ſolam provocationem, cùm totus abuſus pendeat ex parte Con-

feſſa-

essarij. Et ita responsum fuit per upremum Tribunal, 27. Septembris. 624.

Quæres XX. An sciens aliquem pœnitentem fuisse sollicitatum in confessione, teneatur denuntiare Confessarium sollicitantem? Respon: Qui id scit ex ore vel ipsius Confessarij sollicitatoris, vel ipsius pœnitentis sollicitati, modò tenetur denuntiare. Prima pars, *ex ore Confessarij, vel pœnitentis*, probatur, quia in Edictis Inquisitorum denuntiatio huius criminis non solùm præcipitur personis sollicitatis, ut etiam statuitur in *Gregoriana*, sed *etiam alijs scientibus ex auditu prædictorum*, ut responsum est per supremum Tribunal, Anno & Mense, ut supra.

Verùm quidem est, quòd si principalis denuntiat, ad nihil tenetur sciens, quia jam satisfactum est sancto Officio. Dixi *ex ore Confessarij, vel personæ sollicitatæ*, quia qui ab alijs audi-

audivit, non tenetur denuntiare, eò quòd non dicitur in hoc casu scire, & habere notitiam de crimine *l. 2. §. Item habeo, ff. de aqua pluv. arc.* ubi dicitur *Quod audis, nescire diceris*, supple, si perveniat ex auditu mediato, eò quòd ille, qui tibi crimen narrat, id ab alio audivit, nam bene scire dicitur ille, qui crimen immediate audivit ab eo, qui illud perpetravit, vel ab alio, contra quem factum fuit delictum, nam tunc audiens habet pro auctore sui dicti ipsum perpetratorem, vel personam, contra quam factum fuit, ac proinde suî auditûs certum habet auctorem, cui prudenter creditur. Dixi præterea, quando narrans sollicitationem, est bonæ famæ, & fide dignus, nam malevolis, & maledicis credendum non est, sed tantùm providis, & honestis personis, *c. qualiter 24. de accus.*

Denuntiandum insuper hoc crimen est, licet probari non possit. Quia

de ra-

de ratione denuntiationis eſt, ut de-
nuntians non teneatur probare deli-
ctum depoſitum coram Iudice, ergò
parum refert, quòd poſſit vel non poſ-
ſit probare delictum. Deinde poteſt
accidere, quòd Confeſſarius quere-
latus aliàs fuerit de tali crimine, aut
quod impoſterum denuntiabitur ab
aliquo, ex quo Iudex habebit jus in-
quirendi contra illum, & vocandi ad
judicium.

Quæres XXI. An ſubitanea pœni-
tentia Confeſſarij ſollicitantis, qui in
ipſo contextu confeſſionis ſigna dat
emendationis, & dolet de commiſſo
errore coram perſona ſollicitata, ex-
cuſet à denuntiatione? Reſpondeo
negative. Quia Bulla & Edicta ſim-
pliciter obligant ad denuntiandum,
& non excipiunt hunc caſum, alias
denuntiatio nunquam locum haberet
quia omnes Confeſſarij, ſive obtine-
rent intentum, ſive non, ſtatim poſt
factum, ſignum darent emendationis
ad pœ-

ad pœnas evitandas. Et verò in praxi multùm est difficile notitiam habere de eiusmodi emendatione, cùm sub ementitis verbis lateat cor perversum, ideò emendatio potiùs manet ambigua, ac proinde non relevat ab obligatione denuntiationis: Licet enim non ampliùs tentet mulierem primam, quæ illi restitit in faciem, illi tamen non constat de emendatione huius vitij respectu aliarum, valde enim ad libidinem inclinatus, non est contentus sollicitatione unius, maxime cùm repellitur, sed alias etiam provocare sollicitus est. *Ego* inquit *Franciscus Bordonus præsens fui uti Consultor, dùm quidam Sacerdos abjuraret sollicitationem plùs quindecim mulierum.*

Quæres XXII. An in dubio, sollicitans Confessarius sit denuntiandus? quandoque enim per verba dubia & ambigua aliqui putant induci sollicitationem; interdum videtur Con-

fessarius tangere manum, aut faciem mulieris, vel pueri sine alio actu, & talis tactus interpretari potest casu, vel alio fine evenisse. De osculis autem & tactibus impudicis, nulla potest esse difficultas, quin sit denuntiandus. Respondeo. In dubio non est denuntiandus. Quod probatur, tam ex parte pœnitentis. Quia in dubio nemo tenetur, cùm in tali casu quisq; suam possideat libertatem; tam ex parte Confessarij. Quia in dubijs favendum est reo ex vulgaribus juribus. Demùm dubia in meliorem partem sunt interpretenda.

Quæres XXIII. An Confessarius sollicitans, denuntiandus sit, quando convictus fuit & punitus pro sollicitatione respectu aliarum personarum? Respondeo. Fœmina tenetur denuntiare hunc Confessarium non solùm ante punitionem, ut juridice formari possit processus, verùm etiam post punitionem intimatam, quia aliter

non dicitur ſufficienter punitus, cùm plus puniantur duæ ſollicitationes, quàm una, & quatuor, qnàm duæ.

Quæres XXIV. Quando nam Inquiſitor poſſit procedere ad capturam Confeſſarij ſollicitantis? Reſpondeo. Vel perſona denuntians Confeſſarium eſt malæ famæ, & Confeſſarius bonæ, & tunc non creditur perſonæ denuntianti, (infamis enim nihil probat) vel perſona denuntians eſt bonæ famæ, & Confeſſarius malæ & tunc proceditur ad capturam Confeſſarij, & ſi examinatus factum neget, torquetur. Nota tamen hîc diligenter. Quādo denuntiatur aliquis pro hoc delicto in illo ſancto tribunali, priuſquam ad capturam deveniatur, ſumuntur ſecretæ, & verbo-tenus informationes de denuntiante, & denuntiato, quibus habitis & non àliter, proceditur. Nec unquam capitur Confeſſarius ſive bonæ, ſive malæ famæ, ab una tantùm muliere ſive honeſta, ſive in-

honesta denuntiatus, prouti Vicario Generali Genuensi respondit sacrum tribunal 17. Iulij 1627. quod responsum quia absolute datum est sine distinctione qualitatis Confessarij, aut fæminæ denuntiantis, neque nos distinguere debemus ex vulgatis juribus.

Quæres XXV An sufficiant testes singulares ad puniendum sollicitatorem? Respondeo affirmative. Et ratio est, quia hoc delictum cùm fiat inter solam fœminam & Confessarium, aliter probari non potest, & frustra essent aliâs horum Pontificum constitutiones. Idem diserte continetur in Bulla *Gregoriana*.

Quæres XXVI. Quid agendum, quando reus persistit in tortura negando se delictum sollicitationis perpetrâsse. Respondeo. Si in tortura, permansit rigorosa, absolvendus est quia per eam sufficienter evacuavit indicia, si verò fuit levis, ex quo illa

non destruxit, poterit puniri levioribus pœnis. Ita *Carena par: 2. tit: 6. n. 72.* Quid si Confessarius, ut liber omninò maneat cum sua fama & honore, petat rigorosam torturam? Illi danda est, ut se eximat ab infamia illa, & opinione mala apud homines.

Quæres XXVII. Quibusnam pœnis afficiantur sollicitantes in confessione? Respondeo ex Bulla *Gregorij*. Affici pro criminum qualitate, & circumstantijs, suspensione ab executione Ordinis, privatione beneficiorum, & Officiorum, cum perpetua inhabilitate ad alia, nec non vocis activæ & passivæ, si Regulares fuerint, exilio, damnatione ad triremes, carceres etiam perpetuos, absque ulla spe gratiæ, alijsque pœnis, & si graviores meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ sæculari puniendi traduntur.

Quæres XXVIII. An huiusmodi solli-

ſollicitatores condemnati, ſint infames & irregulares? Reſpondeo. Sunt infames, quia etiam ſola carceratio, ſi ſit legitima, infamat. Non ſunt autem irregulares præciſe ex hoc delicto, cùm id non inveniatur in jure, ſed ſolùm propter infamiam.

Quæres XXIX. An ſe defendens per reprobationem teſtium, ſit declarandus innocens? Reſpondeo quòd non. Et probatur. Quia per teſtes reprobatorios præciſe debilitatur fides teſtium deponentium contra reum, non verò probatur, quòd delictum commiſſum non fuerit, ideò licet abſolvatur denuntiatus in eo judicio non tamen declaratur innocens, cùm innocentia probata non fuerit, niſi probata fuerit falſa fuiſſe accuſatio, vel denuntiatio, tunc enim denuntiatus declaratur innocens:

Quæres XXX. An mulieres ſorrores duæ, an tres denuntiantes Confeſſarium de ſollicitatione, fidem faciant ad carcerandum & torturandum

sollicitatorem prætensum? Respondeo negative. Quia testes inhabiles non probant in causis fidei, quando patiuntur alias exceptiones *Farin: q. 62. de testib: n. 383. Sousa l. 2. c. 13. n. 5.* consanguinitas autem est exceptio opponenda testibus, ratione cuius unus præsumitur subornare alium consanguineum contra Confessarium, unde isti non sunt integri testes, nec faciunt semiplenam probationem contra tertium *Mascard: concl: 408. n. 15.* Unde sicut unus est suspectus de falsitate pro alio consanguineo, ita duo contra tertium extraneum. *C. Accusatores.*

Quæres XXXI. An adminicula corroborent depositiones mulierum, quæ alios patiuntur defectus. v. g. Testis adminiculator probat, quòd Confessarius habuit rem cum tali, habet amicitiam, fuit sæpiùs in eius domo, vocavit illam ad domum suam, ubi choreas duxit, quòd non ampli-

ùs mu-

ùs mulier fateatur ſua peccata Confeſſario eidem &c. Reſpondeo. Quandocunque mulier patitur alias exceptiones, meretricij, adulterij, periurij, inimicitiæ, conſanguinitatis cum alia deponente &c. adhuc cum illis adminiculis refellitur, quia hæc nullam habent connexionem cum ſollicitatione, licet inferant aliqualem ſuſpicionem, inſufficientem tamen ad corroborandum fidem mulieris. Tùm quia adminicula fidem mulieris augere non poſſunt, niſi in caſu, quo nullas patitur exceptiones, præter ſexûs, & ſingularitatis. Tùm quia adminicula ſupponunt fidem in muliere deponente, quæ tamen apparet labefactata per teſtes probantes alios earum defectus pro defenſione rei conſtituti, ergo non poteſt per adminicula corroborari & augeri, ſi omninò abeſt fides â muliere. Tum quia teſtes adminiculativi ſunt acceſſorij, conſequenter, deſtructo princi-

pali, destruitur accessorium, & sic pro nihilo habentur.

Quæres XXXII. Quid concludendum, quando mulieres deponentes de sollicitatione, probantur in processu esse honestæ, bonæ famæ, & conditionis. Et pariter Confessarius, sollicitator assertus, probatur esse honestus, bonæ famæ, & conditionis, maxime quando id probatur per testes pares & æquales. Respondeo, si nihil aliud obstet, standum esse pro Confessario ratione sui statûs, & officij, semper enim status Ecclesiasticus præfertur muliebri, & cuilibet alteri.

Quæres XXXIII. Per quæ Regna hæc Bulla extendatur? Respondeo. Extendi per universum Orbem Terrarum. Ita enim habet Constitutio *Gregorij XV.*

Quæres XXXIV. An persona sollicitata priusquam sollicitantem denuntiet, teneatur eum sub mortali fraterne corrigere, si spem emendationis

onis probabilem habeat, quam ſpem overit ex rubore peccantis, ſubmiſſione, affectu, quo nititur impetrare eniám, ex longo temporis intervalo poſt commiſſum delictum. Reſpon: Teneri omninò. Quia præceptum correctionis fraternæ obligat ſub mortali, quando adeſt probâbilis ſpes lucrandi fratrem. Quod docet *Divus Thomas quotlibet O. 1. a 16. &c.* Confirmatur. Peccatum hæreſis fraternam correctionem admittit, ut eruitur ex illo Apoſtoli textu ad *Titum 3. Hæreticum hominem poſt unam, aut ſecundam correctionem de vita.* ergo à pari &c. Et certe cùm præceptum correctionis fraternæ ſit juris naturalis, á Domino renovatum *Matth. 18.* non video, quare in hoc peccato, cùm adeſt ſpes probabilis lucrandi fratrem, omitti debeat? Cùm præſertim præſumendum ſit Confeſſarium vehemẽtiſſima tentatione, quæ illum dementaverit, ad tale ſcelus perpetrândum

fuiſſe impulſum. Facit etiam *cap 2. d hæret.* ubi dicitur. *Qui alios, cum poteſt, ab errore non revocat, ſeipſum errare demonſtrat.* Ita *Peyerinis Tom. 2. ad Conſtitutionem quartam Gregorij XV.* Neque contra hoc facit. Inquiſitores præcipere, ſub anathematis cenſurâ, ut ſtatim hoc delictum ad ipſos deferatur. Nam huiuſmodi præcepta intelligenda ſemper ſunt cum modificatione, ſervatâ formâ Evangelicâ in admonitione facienda. Non tamen quis ideò putet, in Sacramentali Confeſſione non licere ſtatum ſuæ conſcientiæ aperire diſcreto Confeſſario, qui tenebitur, ſi res dubia eſt, mittere pœnitentem, ut conſulat aliquem ex Patribus Sancti Officij. Vide Authorem ſupra citatum.

Quando tamen peccatum, hoc eſt publicum (idem eſt de alijs) ſtatim nulla præcedente fraterna correctione, denuntiari debet. Dicitur enim tantùm *Matth. 18. ſi peccaverit in te,*

id eſt

est, *coram te*, non vero publicé, bené advertit *D. Thomas*. Et ratio est, quia non solùm adhibendum est medium ei, qui peccavit, sed & illis, coram quibus fuit peccatum, ut scandalizati non remaneant, si non videant subsequentem pœnam, quæ pœna non infligitur nisi per denuntiationem delinquentis.

Notandum nihilominus est, si æqué bené posset satisfieri scandalo per publicam correctionem Confratris, vel alio modo, tunc non esset denuntiandus, ex ratione opposita.

Notandum etiam est, si peccatum est occultum, sed in damnum particularis personæ (ut homicidium, furtum, adulterium &c.) vel communitatis, (ut traditiones, subornationes, electionum &c.) ac æqué provideri possit damno publico, vel privato per secretam admonitionem, non esse recurrendum ad denuntiationem. Quia tùm possum consulere communitati,

vel tertio abſque detrimento honor proximi, debeo facere. In dubio t men denuntiandum eſt, quia in dubi magis providendum eſt bono con muni, quam particulari.

Quæres XXXV. An ſint caſus al qui aſſignabiles, in quibus perſon ſollicitata non tenetur denuntiare ſo licitantem? Reſpondeo. Eſſe. Et pri mus eſſe poteſt, v. g. metus probabi lis mortis, vel gravis vulneris, ſi ca dat in virum conſtantem. Nam ſecun dum communem ſententiam metu cadens in virum conſtantem excuſa á legis obſervantia. Vide *Divum Tho mam 2. 2. q. 147. d. 3. ad 2.* Quand autem dico *in conſtantem virum*, li mita, attentâ conditione perſonæ, nam metus, qui terrebit virum quietum, pacificum, inermem, non terrebit militem, rixoſum, aſſuetum armis, & ſic de fœmina, in qua minor metus deſideratur, quám in viro. Idem cenſeo de metu honoris amiſſionis, & infamiæ.

miæ. Nam hic timor æquiparatur mori mortis. *L. justa, ff. de manumissis vind.* Et viro bono gravior est onoris jactura, morte ipsa. Sed in oc cavendum est, ne trepidetur á timore, ubi timor non est, & suadenum mulieri, non esse inhonestum omparere coram Inquisitoribus pro Catholicæ fidei defensione ad denuniandum taliter delinquentes.

Idem dic, si personæ sollicitatæ cōtet de emendatione sollicitantis. Quia cum probatum sit, hoc peccaum fraternam correctionem admitere, si hæc profuit, vel sine hac, peccatum est emendatum; quod solùm fraterna correctio requirit, non est, cur ad denuntiationem procedatur.

Quæres XXXVI. An omnibus Sacerdotibus tam Regularibus, quàm Sæcularibus approbandis ad Confessiones audiendas, in actu ipso approbationis legenda, & intimanda sit hæc Constitutio *Gregorij XV.*? Responsaid

deo

deo affirmative. Ita enim in dict. Bulla mandavit Pontifex, & hoc u sciant Confessarij pœnas tanto excess sui propositas, & quòd non hortantes, ut debent, pœnitentes sollicitatos ad denuntiandum, vel docentes eos non teneri denuntiare, punientur ab Ordinarijs, vel Inquisitoribus

Tertiò. *Gregorij XIII. Clementis VIII.* & *Urbani VIII.* Constitutio, in exercētes ordinem Presbyteratûs non susceptum, & sacramentaliter confessiones audientes, invehitur.

Quæres I. An eiusmodi subijciatur Inquisitori, & sit de hæresi suspectus? Respondeo affirmative. Ita enim habes in Bulla *Gregorij XIII.*

Quæres II. Qua pœnâ puniendi sint celebrantes, aut pœnitentiæ Sacramentum administrantes, cùm non sint Sacerdotes? Respondeo. Licet hi prætendant ignorantiam, tamen degradantur suis Ordinibus, si quos habent, & traduntur Curiæ sæculari con-

dignis

ignis pœnis plectendi, ut exprimi-
ur in Bulla *Clementis VIII.* quæ in-
ipit. *Et si aliàs.*

Quæres III. An ille, qui audivit
onfessionem, sed non absolvit, & qui
ncepit Missam, sed non consecravit,
radendus sit Curiæ sæculari juxta
rædictam Bullam? Respondeo. Non
erficiens illa duo Sacramenta ince-
ta, licet subdatur inquisitioni, non
amen videtur tradendus Curiæ sæ-
ulari.

Primum suadetur. Tum quia, au-
iens Confessionem sine absolutione,
c celebrans partem Missæ ante con-
ecrationem abutitur his duobus Sa-
ramentis, siquidem initium Missæ,
uti confessio, introitus, Oratio, Epi-
tola &c. sunt partes integrales Missæ,
icet non essentiales, & tales spectan-
ur, licet fictus Sacerdos cesset à pro-
ecutione Missæ, neque enim pars a-
icuius futuri totius, desinit esse pars
llius, si agens illud in esse perfectum

non deducat. Sacramentum pariter pœnitentiæ constat ex actibus pœnitentis, & verbis absolutionis, ex quibus tanquam ex materia, & forma essentialibus totum perficitur Sacramentum. Inter actus autem pœnitentis numeratur confessio Sacramentalis quæ talis est etiam secundum se spectata, cùm adhuc sit pars materialis Sacramenti, adeò quòd Sacerdos pœnitentem non absolvens defectu potestatis, aut dispositionis pœnitentis, tenetur sub sigillo Sacramentali occultare peccata audita in confessione, ita omnes cum *Bonac: p. 2. de sigillo, num: 6.* imò & fictus Sacerdos, ut in casu nostro, de communi idem *Bonac: num: 2. §. Verum.* Tum quia delictum spectatum secundum magis & minus, seu secundum perfectum & imperfectum, sicut non dicitur variare speciem, ita neque judicem, quare sub eodem judice erit utrumque delictum.

Idem

Idem dicendum est de incipiente Missam, quamvis non perveniat ad Consecrationem, nam iste se exhibet Ministrum Sacrificij, ac si esset Sacerdos, cùm more Sacerdotum vestibus Sacerdotalibus accedat ad altare, & Missam incipiat. Subditur ergo Officio Sanctæ inquisitionis, licet Missam non perficiat. Indutus etiam vestibus Sacerdotalibus, qui Missam non incepit corrigi potest ab Inquisitoribus, quia, qui habet potestatem super delictum consummatum, habet etiam super attentatum, sicut super inceptum.

Secundum, quòd fictus Sacerdos non absolvens, & Missam non perficiens, seu non consecrans in Missa cæpta, non sit rigorosè puniendus traditione Curiæ sæculari, probatur. Quia tradere Curiæ sæculari, est pœna gravissima, cùm id sit tradere morti in consequentiam, cui debet correspondere delictum gravissimum

quià debet esse proportio inter pœnā & delictum, sed Sacerdos fictus non probatur perfecisse delictum, cùm tantum illud inchoaverit, ergò puniendus non est eâdem pœná quâ plectitur ille, qui delictum inchoatum complevit & perfecit.

Quæres IV an Sacerdos carens jurisdictione audiendi Sacras Confessiones, seu suspensus, depositus, aut degradatus, ministrando Sacramentum pœnitētiæ, aut celebrādo Missá sit de hæresi suspectus, & subdatur prædictis Bullis? Respondeo negativé. Quia quoad suspicionem, nullū est motivum præsumendi hæresim, quia non obstante carentia jurisdictionis, aut alia ex dictis pœnis, adhuc manet Sacerdos cum potestate celebrandi, & Confessiones audiendi quoad potestatem ordinis, licet impeditam, ex quo celebrans. illicite, sed valide conficit Sacramentum Eucharistiæ, non verò pœnitentiæ de-

fectu

fectu jurisdictionis. Nec obſtat, quod celebrans, aut abſolvens, cûm non poſſit, abutatur Sacramentis, quia non omnis abuſus arguit ſuſpicionem hæreſis, ſed ille tantum, qui habet fundamentum in hæreſi, & non in ſolo uſu illicito, unde potiùs illicitus uſus, quàm abuſus in hac materia, dicendus eſt. Demùm clarum eſt, in dictis Bullis ſermonem non eſſe de veris Sacerdotibus quomodocunque illicite Sacramenta tractantibus, ſed de fictis, & non inſignitis Sacerdotali ordine.

Quæres V. An Laici Sacerdotium ſimulantes, denuntiandi ſint in ſancto Officio? Ratio dubitandi eſt, quia in ſupradictis Bullis id non præcipitur. Reſpondeo. Denuntiandi ſunt, ut colligitur ex Edictis Inquiſitorum, & ita habetur in Edictis *Mediolon: & Parmen.*

Quæres VI. An in aliquo caſu excuſari poſſit Laicus, qui celebravit,

vel absolvit, ut non tradatur Curiæ sæculari morte plectendus? Respondeo. Excusatur primò, si actum non perfecit juxta dicta. Secundò, si Laicus probatur lenis, & mente læsus, mitiori pœnâ est puniendus, quia non ex temeritate, ut exigit Bulla ibi *Usurpare præsumentes.* sed ex quadam fatuitate, & vana gloria tales celebrant, unde extraordinariâ pœnâ carceris puniuntur, ut stultus in culpa, fiat sapiens in pæna. *cap: quia eo.* Tertiò, si constet joco celebrâsse, aut absolvisse, quia joco facta pœnam non merentur ordinariam, *cap:* 1. *de sent: Excom.* Probatur ex joco factum à puero, nam levitas præsumitur in re facta in puerili ætate, cùm desit plena rationis discretio. Quartò, minor ætas infra annum vigesimum primum excusat ab hac pœna, ut dicitur expresse in Bulla *Urbani VIII.* incipit, *Apostolatûs Officium.* Unde qui inchoato etiam, & non perfecto anno

vigesi-

vigesimo primo suæ ætatis, etiam, Religiosus cuiuscunque Ordinis, nondum Sacerdos illa duo Sacramenta ministrat, tradẽdus est Curiæ sæculari.

Quæres VII. An Laica potestas, cui traditus fuit fictus Sacerdos, debeat hunc morte punire, & si nolit, cogi possit per Inquisitorem, seu Episcopũ, aut Iudicem huius delicti? Respõdeo ad utrumq; affirmative. Et colligitur ex citata Bulla *Urbani* illis verbis: *Quocirca omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo, mandamus, quatenus statutum Decretum, & Constitutionem hanc nostram inviolabiliter observent, & observari faciant.* Observatio autem huius Bullæ in eo consistit, ut Iudices Ecclesiasticæ Inquisitionis tradant fictum Sacerdotem Curiæ sæculari, & hæc exequatur mandatum, quod si nolit, cogatur per illos, ut insinuatur illis

 verbis.

verbis *Observari faciant.* Ita *Diana & Pegna, Carena par: 2. tit: 11. n. 31*

Quæres VIII. An non Sacerdos celebrans, aut absolvens, incurrat aliquam censuram, seu irregularitatem? Respondeo. Exercens ordinem, quem non habet, fit irregularis, ut habetur *in cap: 1. & 2. de Clericis non ordin: Minist:* ubi ultra pœnam excommunicationis ferendæ contentam illis verbis, *abjiciatur de Ecclesia*, fertur & irregularitas ijs verbis. *Nunquam ordinentur.* Quæ irregularitas respectu Clerici solùm impedit receptionem ordinum, quos non habet, impositâ, quoad usum susceptorum, suspensione temporali biennij aut triennij, arbitrio Episcopi, ut colligitur ex ipsomet textu, siquidem in textu citato dicitur. *Diaconum, qui ministravit in Sacrificio, & Sacerdotio, quod non habet, manere suspensum à Diaconatu.* Respectu verò Laici ministrantis in Ordine, quem non habet,

habet, incurritur præſens irregulari-
tas, quoad omnes ordines, unde in ci-
tato textu dicitur, *non ordinetur*, quæ
locutio cùm ſit negativa, ac indefi-
nita, æquivalet univerſali.

Moneo hîc tamen, quòd cùm ſu-
ſpenſio biennij, aut triennij ab uſu
ordinum ſuſceptorum committatur
arbitrio Epiſcopi, conſequenter ea non
eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ, ideò
præſupponit ſententiam Iudicis, id eſt
Epiſcopi, aliàs quomodo poſſet com-
mitti arbitrio illius, ſi de ea nec con-
ſtaret quòd tamen plerumque eve-
niret, ſi illa eſſet latæ ſententiæ, &
ipſo facto incurreretur.

Quæres IX. An abſolvens per li-
teras pœnitentem abſentem ſit ſuſpe-
ctus de hæreſi, & incurrat aliquam
Cenſuram? Reſpondeo. Abſolvens
pœnitentem abſentem, qui per lite-
ras, aut Internuntium confeſſus fuit
ſua peccata Sacerdoti abſenti, pec-
cat mortaliter, & incurrit excommu-

nicationem Papæ reſervatam, non ideò tamen ſuſpectus eſt de hæreſi quia licet facto ſuo contraveniat prohibitioni, non tamen id de fide fuit definitum, ut colligitur aperte ex Decreto *Clementis VIII.* emanato die 20. Iunij 1602.

Quæres X. An, qui bis eodem die celebravit, præter diem Natalis Domini, ſit ſuſpectus de hæreſi? Reſpõdeo negative. Etſi enim ſummi Pontifices prohibuerunt pluralitatem Miſſarum celebrandarum eodem die ab uno Sacerdote *cap: ſufficiat 52. d. 1. de Conſecr:* nihilominus hinc nullum deſumi poteſt argumentum ſuſpicionis hæreſis contra illum, qui plures celebraret etiam ſine cauſá, ſed tantùm voluntarie, aut ex inopia, ſeu etiam ex avaritia, vel ſimonia, quia iſti fines, quamvis illiciti, non arguunt ſuſpicionem hæreſis, ſiquidem Simoniaci, neque avari ſubduntur inquiſitionibus. Demùm, ſi pluralitas

celebra-

celebrationis argueret ſuſpicione hæreſis, non liceret aliquando celebrare, ne incurreretur, hæc ſuſpicio, nihilominus Summiſtæ omnes referunt plures caſus, in quibus licitum eſt plures celebrare, vide illos apud *Angelum verb: Miſſa: Palud: in 4. diſt: 12. quæſt: 1. Anton: part: 3. tit: 13. cap: 6. ſſ. 5. Durand: in ration: divini officij lib: 4. c. 1.* referentem Papam *Leonem* eodem die aliquando ſepties, interdum novies celebraſſe Miſſam. Noſtris temporibus in uſu non eſt, quòd idem Sacerdos bis eodem die celebret poſito quovis caſu, aliter punitur tanquam tranſgreſſor juris Eccleſiaſtici.

Quæres XI. A quo ſit puniendus ille Sacerdos, qui eodem die bis celebravit? Reſpondeo. Sæcularis ab Epiſcopo, Regularis à ſuo Prælato, quia unuſquiſque delinquens punitur à ſuo Superiore, & Iudice; in caſu autem præſenti Iudex Religioſi bis eo-

dem die celebrantis eſt proprius Superior Regularis. Confirmatur, quia nullo jure exprimitur Religioſũ quoad hoc delictum ſubijci Epiſcopo, quod ſuadetur ex *Trident: ſſ. 22. in Decreto de obſervand: & evitand: in celebr: Miſſ:* ubi Epiſcopus pro data ſibi poteſtate à ſacra Synodo, ac etiam ut delegatus Sedis Apoſtolicæ, prohibere, mandare, corrigere, ſtatuere, atque ad ea inviolabiliter obſervanda cenſuris Eccleſiaſticis, & alijs pœnis, quæ enumeratæ ſunt in dicto Decreto, tranſgreſſores compellere; poteſt ſed in dicto Decreto nulla fit mentio de hoc exceſſu, ergò Religioſi tranſgreſſores huius non ſubduntur Epiſcopis.

Solent autem puniri in duobus, nam mittuntur ad triremes per triennium, & à celebratione Miſſarum ſuſpenduntur. Ita praxis *Neapolit*. 64. ubi in Annotatione excuſantur à tam rigoroſa pœna triremium, quando

ultra

ultra casus expressos per Doctores celebrarent, adductâ aliquâ causâ honestâ, & paupertate Sacerdotis peregrinantis, &c. Causæ huiusmodi apud Religiosum non possunt habere locum, quia ubique domum habet, vivere debet ex mendicatione, &c.

Quæres XII. Quid sentiendum de Sacerdote, qui pluries finxit se celebrare, sed revera non consecravit defectu aliquando intentionis, aliquando omissione formæ, consecrationis, sit de hæresi suspectus? Resp. certum est, hunc Sacerdotem peccare mortaliter, quia Missæ Sacrificio, quod rite celebrandum est, & non simulate, maximam infert injuriam, & in causa est, quòd populus circumstans idololatriam materialiter committit, adorando hostiam, & calicem, sub quarum speciebus revera Christus non est Sacramentaliter. Præterea talis Sacerdos immemor suæ salutis tenetur ad restitutionem illius eleemo-

syna,

ſynæ, quæ reſpondet Miſſis revera non dictis niſi ſimulate ſimiles enim Miſſæ ſine conſecratione dictæ, nullius ſunt momenti nullius valoris, ſed abominationes apud Deum, cùm ſint ſacrilegia, non Sacrificia.

Quæres XIII. An Laicus abſolvens ab excommunicatione exiſtentem in articulo mortis fiat ſuſpectus de hæreſi? Reſpondeo. Non eſt ſuſpectus. Tum quia, ſuper hoc nihil de fide definitum eſt, ita quòd facto abſolutionis datæ per Laicum dicatur impugnari. Tum quia hîc nullus eſt abuſus Sacramenti. Tum quia multi graves Doctores docent, Laicum poſſe moribundum abſolvere ab excommunicatione, ut valeat ſepeliri in loco ſacro, & pro illo orari, quia eo caſu Ecclesia illi confert juriſdictionem, ut alijs allegatis docet *Sanch: Sæcularis diſp: 44. num. 7.* Multos citat *Diana reſol. 7. de excom.* Sed quoad hoc ſpeciale, puto hanc opinionem

ionem non eſſe multum probabilem
um quia hæc abſolutio quoad ſalu-
em non eſt neceſſaria, cùm defectu
Confeſſarij ſufficiat contritio pro pec-
atis, & quis nondum abſolutus, po-
eſt eſſe gratus Deo exiſtens in excom-
nunicatione, cuius abſolutionem pa-
atus erat recipere. Tum quia in fo-
o externo non admitteretur huiuſ-
modi abſolutio quoad ſepulturam, &
ſuffragia publica, cùm excommuni-
catus Eccleſiæ nondum ſatisfecerit, à
qua tenetur ligatus, Tum quia, ve-
rum non eſt Eccleſiam ſupplere ju-
riſdictionem in eo caſu, quaſi illam
communicando Laico, quia Eccleſia
ſupplet juriſdictionem ſpiritualem in
Eccleſiaſticis, quia illius ſunt capaces,
non autem Laicis, qui incapaces ſunt.
cap: 2, de jud: cap: Tua 25. de decim.
Unde eſto Papa id Laico concedere
poſſit ſecundum probabiliorem opi-
nionem, id autem facere non præſu-
mitur, ſed ſpecialis delegatio neceſ-
ſaria

ſaria eſt, propter inhabilitatem Laici, quare cùm nihil proſit abſolutio data à Laico defectu juriſdictionis, hæc opinio uti de re inutili reijcienda eſt, præterquam quod magis obeſt juriſdictioni Eccleſiaſticæ, quatenus eam extendit ad Laicos, quàm, proſit Laico, cui non eſt proficua, ſed fruſtratoria, cùm per Eccleſiam abſolvendus ſit ab excommunicatione, ut fiat capax ſepulturæ, & Eccleſiæ ſuffragiorum, ut ex *Rituali Pauli V. colligitur in tit: de ſepulturis.*

Quæres XIV. An frangens ſigillum confeſſionis ſit ſuſpectus de hæreſi? Reſpondeo negative, quia Sacerdos revelans, quod in confeſſione audivit, nullum fidei articulum nec verbo, nec facto impugnat, ex quo reddatur ſuſpectus de hæreſi. Confirmatur, quia ex hoc præciſe non dicit licitam eſſe revelationem confeſſionis, nec male ſentit de Sacramentis, licet huic Sacramento iniuriam inferat.

Quæ-

Quæres XV. An Confeſſarius, qui
on vult abſolvere pœnitentem, niſi
bi revelet complicem, ſubijciatur
nquiſitoribus? Reſpondeo negative,
uia cogere pœnitentem ſub ea con-
itione, non eſt actus hæreticus, aut
nducens ſuſpicionem hæreſis, quaſi
x hoc intendat licitum eſſe infama-
e proximum, quod dicere hæreti-
um eſt, ſiquidem manifeſtare com-
plicem in Confeſſione, non eſt præci-
e proximum infamare, ſed neceſſari-
am circumſtantiam aperire in confeſ-
ſione, ut integra ſit.

Quartò, *Sixtus V.* in ſua Conſtitu-
tione 17. quæ incipit *Cæli & terræ*,
quoslibet ſuperſtitioſos, Sortilegos &
Aſtrologos, Iudiciarios ſubdit tribu-
nali Epiſcoporum, & Inquiſitorum ſe-
vere puniendos, & eorum libros pro-
hibet, & damnat cum incurſione pœ-
narum *in Iudice Librorum* contenta-
rum. Bulla verò *Urbani VIII.* inci-
piens, *Inſcrutabilis judiciorum* fertur
contra

contra Aſtrologos judiciarios, qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſeu vita Romani Pontificis, aut eius conſanguineorum, judicia facere, nec non eos, qui illos deſuper conſulere præſumpſerint.

Quæres I. An omnis ſpecies ſuperſtitionis & ſortilegij ſit caſus Inquiſitionis ſecundum hanc Bullam *Sixti V*. Ratio dubitandi eſt, quia hæc Bulla intitulatur contra exercentes artem Aſtrologiæ, quæ eſt ſpecies ſuperſtitionis, conſequenter non comprehendit omnes ſuperſtitionis ſpecies. *R*eſpondeo. Per hanc Bullam omnis ſuperſtitionis ſpecies eſt caſus Inquiſitionis, ut aperte habetur ex ſupradictis, ibi: *Quivè huiuſmodi illicitas divinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones veneficia, incantationes, &c.* Nec obſtat tituli inſcriptio limitata ad divinationes, quando in textu materiæ ampliatur, & exprimitur quoad omnes ſpecies.

Quæres II. An comprehendantur tantùm exercentes hanc artem, an etiam, qui ſemel divinaverunt, vel alicui amico nativitatem, ut aiunt, fecerunt? Ratio dubitandi deſumitur ex illis verbis: *Iudiciariæ Aſtrologiæ artem exercentes*, nam ſignificant iterationem actûs, ex ijs, quæ in ſimili refert *Nav: c. 27. n. 250.* de exercente ſodomiam, qui pœnas in Bulla *Pÿ V.* non incurrit per unum, vel alterum ſodomiæ actum, ergò neque caſum Inquiſitionis incurrit ille, qui amico nativitatem facit. Reſpondeo. Etiam unicus ſuperſtitionis actus ſubditur Inquiſitioni, ut colligitur ex illis verbis. *Præmiſſa deteſtanda ſcelera, & delicta (ut præfertur) faciunt aut in eis ſe quomodolibet intromittunt.* Ex quibus verbis prædictæ clauſulæ rationis dubitandi explicatio colligitur, nimirum *exercentes*, id eſt, *facientes*, ſeu ſe ingerentes in actibus ſuperſtitioſis.

Quæres III. Quot actiones subdantur officio sanctæ Inquisitionis? Respondeo, sequentes exercitium, & professio Astrologiæ, instructio, quâ Astrologi alios imbuunt, disciplina, hoc est, illam addiscere, facere actum superstitiosum. Demùm se in prædictis intromittere, auxiliando, consulendo, mandando, consentiendo &c. In his omnibus casibus Bulla Astrologos, & superstitiosos subijcit sanctæ Inquisitioni.

Quæres IV. An in hac Bulla prohibeantur non solùm judicia assertiva de futuris contingentibus, verùm etiam conjecturæ de eisdem cum protestatione nihil certò asserendi? ratio dubitandi est, quia hîc prohibetur Astrologia non quæcunq; sed tantùm judiciaria, quæ consistit in judicio affirmativo rei eventuræ, qualis non est cognitio coniecturalis, quæ potiùs dubitatio est, quàm judicium de futuris. Respondeo. Non solùm prohi-

prohibetur judicium, ſed etiam conjecturatio etiam ſub proteſtatione nihil certò affirmandi, & id expreſſe certò affirmandi, & id expreſſe colligitur ex illis verbis: *Facientes judicia & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſq; caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiamſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur.* Et id procedit in utroque foro, ut bene, *Salas*, & *Sanch:* docent *lib: 2. cap: 38. n. 34.* tum quia Papa permiſit judicium de agricultura, navigatione, medicatione in utroque foro, ergo damnavit in alijs Aſtrologiam in utroque foro ad omnem cognitionem. Tum, quia per hunc modum occultatur malitia ſuperſtitionis, conſequenter quilibet Aſtrologus ſub his modis conie-cturandi futura contingentia ab humana voluntate pendentia, excuſaretur à

tur à violatione huius Bullæ, ex quo nullus puniri possit, & sic frustraretur mens legis, cuius finis est, extirpare hoc vitium superstitiosum divinationis, castigando delinquentes. Colligitur hinc, non esse permittendos, ut aiunt, *Lunarios* quosdam, qui prædicunt revolutionem regnorum, mortem alicuius Principis, desolationem alicuius Provinciæ, victoriam in bello, pacem, &c.

Quæres V. Quam pænam incurrant legentes, aut retinentes libros, opera, & tractatus de Astrologia judiciaria, aut alijs superstitionibus? Respondeo. Incurrere excommunicationem, quarum primâ refertur in *Bullâ Cœnæ Domini*, altera in *Bulla Pÿ IV.* initio *Indicis*. Cedulam tamen habens, in qua descripta est propria vel alterius nativitas, hanc pœnam non incurrit. Quia ille non est liber, neque opus, neque tractatus, de quibus est sermo locis citatis. Cedulâ

tamen

tamen illa lacerari debet, nec fides ulla illi haberi.

Quæres VI. Quæ pœnæ, & propter quas actiones, & contra quas perſonas ferantur in Bulla *Urbani VIII.*

Reſpondeo. Actiones hîc prohitæ ſunt novem, quatuor ex parte quærentium divinationem, quinque verò ex parte Aſtrologorum, & divinantium. Ex parte quærentium ſunt primò conſilium petere, ſecundò, recipere, tertiò, retinere, quartò, oſtendere divinationem factam de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel de vita, aut morte Papæ, aut eius conſangvineorum uſque ad tertiam generationem incluſive. Ex parte verò Aſtrologorum ſeu divinatorum actiones ſunt quinque, prima, factio & conſtructio prognoſtici de prædictis; ſecunda; retentio prognoſtici, etiam alieni; tertia, datio eius alteri; quarta eiuſdem oſtenſio: quinta demum, eiuſdem tractatio, ſive verbo, ſive ſcripto etiam

per modum improbationis. Procedunt, quamvis divinatio non contineat judicium, imò Aſtrologus, ſive divinator, ſe non certo affirmare, quod prædicit proteſtetur, ut dictum eſt.

Reus unius etiam harum actionum, incurrit excommunicationem. Eccleſiaſtici quoque cuiuslibet ordinis, tam Sæculares, quàm Regulares præter excommunicationem, & privationem Officiorum, beneficiorum, & dignitatum, cum perpetua inhabilitate, traduntur Curiæ ſæculari puniendi, prævia degradatione, ſi rei fuerint etiam unius illarum actionum.

Epiſcopi pariter, & alij maioris excellentiæ, & conſtituti in ſublimi, & ſpeciali nota, dignitate, etiam mundana, aut ſuprema, eandem incurrunt excommunicationem, & privationem regiminis, & admiſtrationis Eccleſiarum, & aliorum quorumcunque beneficiorum, & dignitatum

quan-

quantumvis amplissimarum, & Patriarchali maiorum, ac officiorum suorum, ipso facto, cum perpetua inhabilitate. Sub his clausulis efficacissimis comprehenduntur etiam Cardinales, Electores Imperij, & quicunque alij habentes mixtam dignitatem ex Laicali, & Ecclesiastica. Non verò Imperator, nec Reges, quia sermo est de Ecclesiasticis tantùm, ut patet legenti partem Bullæ sub *num.* 2.

Prædicta autem de Ecclesiasticis, & Episcopis intelligenda sunt dequibuscunque actionibus tam respectu quærentium divinationem, quàm Astrologorum, & divinatorum, cùm impositio pœnarum respiciat personas superiùs expressas, quoad actiones omnes & quaslibet.

Præter excommunicationem, & privationem Officiorum, de quibus supra, imponuntur etiam aliæ pœnæ contra requirentes divinationem, aut prognosticantes de statu Reipublicæ

Christianæ, &c. Nempe, uti rei læsæ Majestatis ultimo supplicio & bonorum confiscatione puniendi sunt, cum devolutione etiam quarumcumque Civitatum & locorum etiam jurisdictionalium, & feudalium, ut habetur in Bulla. Sed hæ pœnæ afficiunt tantum modo Laicos, cum de illis tantùm sermo sit unde per eandem Bullam Ecclesiastici omnes infra dignitatem Episcopalem degradati traduntur Curiæ sæculari pro ultimo supplicio. Episcopi verò, & alij maiores Prælati etiam dignitate mundanâ præditi, etiam supremâ ipso jure præter excommunicationem sunt privati suis beneficijs, officijs, regiminibus, & administrationibus. Ex quo in his confiscatio bonòrum locum non habet, sed tantûm respectu Laicorum.

Sed ad quem spectent bona confiscata, & devolutio Civitatum, & jurisdictionalium? Respondeo. Ad eum Supre-

upremum Principem, cuius erant; inde feudum concessum ab Ecclesia, edit ad Ecclesiam, sive delinquens sit Comes, sive Marchio, sive Dux cuiuscunque conditionis, & notæ, si verò concessum fuit à Laico, revertitur ad ipsum, quia æquum est, ut unaquæq; res redeat ad suum directum dominum, qui illam concessit, & non ad extraneum? Sunt & actiones aliæ, ob quas incurritur excommunicatio latæ sententiæ, & beneficiorum, ac quorumcumque Officiorum privatio, cum inhabilitate ad illa, videlicet impedire, molestare, perturbare Iudices in causis huiusmodi procedentes, aut non consignare reum huius criminis cum scripturis ijsdem Iudicibus. Et demùm quælibet actio, quâ reus huius criminis effugit judicium, aut non cadit in manus Iudicis, aut ex illius manibus & potestate subtrahitur, inducit excommunicationem. Hæc autem excommunicatio non comprehendit

sæculares perpetrantes actiones supr prohibitas, quia de illis fit nulla mentio, sed solùm de Personis Ecclesiasticis. Vide Bullam antecitatam.

Quæres VII. An prohibita sit Astrologia judicans de temperamento bono, seu malo hominis ex observatione influxûs constellationum tempore Nativitatis? Respondeo. Non quia certum est directe influere in corpus humanum. De quibus autem alijs judicare possit Astrologus, dixi *Philosophia mea Tomo 3. in disp: de Cœlo.* Ibi me vide.

Quinto. *Clemens VIII.* statuit ne Itali habitare possint in terris hæreticorum, quam Bullam confirmat Bulla *Gregorij XV.* & addidit, ut nec hæretici apud Italos morari possint, & Catholici eos receptantes, aut favorem & auxilium præstantes, puniantur uti fautores & receptatores hæreticorum, sive sint Ecclesiastici, sive Laici.

Quæres

Quæres I. Quid requiratur, ut Ca-
holicus poſſit habitare in terris hæ-
eticorum juxta Bullam *Clementis VIII.*
Reſpondeo. Tria requiruntur. Pri-
nò, licentia Ordinarij, vel Inquiſito-
is loci, à quo diſceditur, quia in Bul-
a exprimitur, quòd diſcedere volen-
es, debent idſignificare uni ex præ-
dictis, à quo admonendi ſunt de vi-
a religioſe ducenda in terris hæreti-
corum. Secundò, in illis locis, ad
quæ tranſit Catholicus, debet publi-
ce & palam vigere cultus divinus
quoad Miſſam, Sacramenta, & huiuſ-
modi. Tertiò, ſingulis annis ſcheda de
Confeſſione, & Sacra Communione
tranſmittenda eſt ad Ordinarium, ſeu
Inquiſitorem, à quibus receſſit.

Quæres II. Quibus prohibeantur,
dum in terris Hæreticorū habitant?
Reſpondeo. A quatuor prohibētur.
Primò, non poſſunt contrahere ma-
trimonium cum hæreticis, propter
periculum ſubverſionis, eſt etiam
jure

jure communi prohibitum *Cap. Cave*
Idem dic de Sponſalibus, licet d
illis non fiat mentio, quia quando
cunque prohibetur unum, cenſentu
etiam vetita reliqua omnia, per qua
pervenitur ad illud, *l. oratio ff. d*
ſponſal. c. 4. de conſtit. Per ſponſali
autem pervenitur ad matrinonium
ut patet ergo prohibito matrimonic
intelliguntur interdicta ſponſalia.
Secundò, debent abſtinere á ſepul-
turis hæreticorum, quod intelligitur
non ſolum paſſivè, ut non ſepeliantur
in eorum Eccleſijs, ſeu ſepulchris;
verùm etiam activè, ne concurrant
ad ſepeliendos hæreticos: quod po-
ſtremum, ſub excommunicatione la-
tæ ſententiæ erat iam prohibitum
cap. 2. de hæret. in 6. Tertiò, In
baptizandis ſuis filijs non poſſunt aſ-
ſumere in compatres, aut commatres
hæreticos; neque Catholici id mu-
nus præſtare poſſunt reſpectu hære-
ticorum, niſi in caſu, quo filij hæ-
retico-

ticorum baptizarentur á Sacerdote
atholico, more item Catholico. Id
utem prohibetur, non quia irritus
t baptiſmus ab hæretico collatus
n forma Eccleſiæ tenet enim de fide
oc credendum, ſed ne Catholici
ideantur approbare errorem hære-
icorum, & ſic ſubvertantur, nam
utherani & Calviniſtæ admittunt
uidem Baptiſmum Sacramentum
ſſe neceſſarium, non tamen delere
peccatum Originale, ſed tantum te-
gi, & non imputari extinctione rea-
tûs, quod eſt error in fide, ut con-
ſtat ex *Trident. Seſsion. V.* Quartò,
demùm Medicis hæreticis uti non
poſſunt, quando habent copiam me-
dici Catholici idonei; ſi igitur Me-
dicus Catholicus inſufficiens eſt, vel
nullus eſt, uti poſſunt hæretico, ut
infirmitatibus ſuis conſulere poſſint.
Si unicus eſt Medicus Catholicorum,
& gravis urget infirmitas, non pro-
hibetur uſus Medici hæretici periti,
ut re-

ut refert ex *Riccio, vol. 4. decis. 208.* *Carena part. 2. tit. 17. n. 19. §. Tertio.* Id etiam ante prohibitum fuit à *Gregorio XIII.* in Bulla incip. *Alias piæ memoriæ.* Ut neque in terris fideliū vocarentur Medici Iudæorum, aut aliorum infidelium ad medendos fideles, & contra facientes mandat puniri ab Ordinarijs locorum. Vide *Naldum verb: Medicus*, Bullam hanc extēdentem, ubi ait, tempore pestis admitti ob carentiam fidelium medicorum.

Quæres III. An accedentes ad terras hæreticorum pro aliquo negotio sed ibi non commorantes, infra paucos dies ad domum propriam redeuntes, teneantur petere licentiam, & observare supradicta in Bulla *Clementis?* Respondeo negative, quia in Bulla fit mentio de habitatione, & domicilio, ibi *Audeat habitare, vel domicilium tenere in Civitate.* Nam habitatores, vel domicilium habentes,

non

n dicuntur advenæ, peregrini, ne-
ue viatores, de quibus hîc non fit
entio. Confirmatur ex actibus ibi-
em prohibitis, & de ſchedulis pro
acramentis receptis ſingulis annis
anſmittendis ad unum ex prædictis
uperioribus ſuis, quæ omnia indi-
ant diuturnam habitationem.

Quæres IV. An Bulla *Gregorij XV.*
uòd hæretici non habitent in *Italia,*
& Inſulis adjacentibus, comprehen-
lat hæreticos milites, quorum multi
is noſtris temporibus militant in di-
erſis exercitibus hîc in Italia? Re-
ſpondeo. Non comprehendit, quia
Bulla loquitur tantùm de hæreticis
domicilium, ſeu habitationem in Ita-
lia habentibus, milites autem de e-
xercitu proprie domicilium, neque
habitationem dicuntur habere, cùm
ſequantur exercitum, vagando huc,
vel illuc, juxta exigentiam belli, &
imperium ducis exercitûs; domici-
lium autem tunc acquiritur ab aliquo,
quando

quando animum habet perpetuò manendi in loco electo, *Glos: ver: Larem: C. ne incolis.*

Quæres V. An hospitio receptans hæreticum transeuntẽ subdatur huic Bullæ *Gregorij XV.* & puniendus sit tanquam fautor & receptor hæretici? Respondeo negativê, quia receptor hæretici dicitur ille, qui recipit occulté in domo sua eum, quem scit esse hæreticum, illum occultando, ne incidat in manus justitiæ. *L. fin. cap. de eo, qui lat.* Fautor verò dicitur ille, qui hæretici cogniti commodum & utilitatem ex animo tuetur in causa hæresis. *arg. lib. 1. parag. 1 ff. de justit.* nihil autem horum in casu nostro intervenit.

Sextò *Paulus V. Constit. sua 26.* quæ incipit *Romanus Pontifex*, revocavit facultates Superioribus quorumcunque Ordinum & Religiosorũ, quoquo modo concessas, cognoscendi causas suorum subditorum ad of-

ficium

ficium sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes, neque denuntiationes recipiendi, testes examinandi, processus conficiendi, aut quoquo modo se in eas causas intromittendi. De quo vide *dicta quæst*: 1. dum de Confessarijs pœnitentes suos sollicitantibus ageremus.

Septimò Idem *Paulus V. Constit*: 97. *Regis pacifici* innovat Constitutiones *Sixti IV.* & *Pij V.* de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis editas, imponit maiores pœnas in transgressores, eosque tradit locorum Ordinarijs, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus puniẽdos. *Gregorius* verò *XV. Constit*. 29. incipiente, *Sanctissimus Dominus noster auditis*, ampliat & declarat prohibitiones asserendi B. Mariam Virginem conceptam esse in peccato originali.

Quæres I. Quid prætactorum Bullæ contineant? Respondeo. *Sixtus V.* in sua *Grave nimis* excommunicatione

reſervata affligit quoſcunque aſſerentes ſequentes propoſitiones. Prima. *Credentes, aut tenentes, Mariam eſſe præſervatam à peccato Originali, ſunt hæretici, aut peccant mortaliter.* Secunda, *Officium Conceptionis celebrans, peccat mortaliter.* Tertia, *audientes ſermones de Conceptione, alicuius peccati ſunt rei.* Papa prædictas propoſitiones uti falſas & erroneas damnat cum libris de illis agentibus, & contrarium ſentientes excommunicat, ut ſupra. Quarta, *Credentes, aut tenentes Mariam fuiſſe conceptam in peccato Originali, ſunt hæretici, aut peccant mortaliter.* Hanc igitur, & prædictas aſſerentes, ſunt ipſo jure excommunicati.

Pius V. in ſua 114. incipiente *ſuper ſpecula* §. 2. ponit pœnam ſuſpenſionis à divinis abſque nova declaratione ipſo facto incurrendam, & privationem cuiuſcunque gradûs, dignitatis, aut adminiſtrationis cum inhabilita-

bilitate ad quæcunque, omnibus reſervatis, quicunque, qui in popularibus concionibus vel ubicunque promiſcua virorum, & mulierum multitudo convenire ſolet, de huiuſmodi controverſiæ alterutra parte diſputare rationibus, vel doctorum authoritate, aſſerendo propriam ſententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipſa quæſtione, cuiuſvis pietatis, aut neceſſitatis prætextu vulgari ſermone ſcribere, vel dictare præſumit, ſubditur §. 3. *Liceat viris doctis in publicis diſputationibus, ubi nulla ſcandali habetur occaſio de illa quæſtionem facere, & argumentis utramque partem aſſerere, vel impugnare, ſervatis ſupradictis â Sixto V.* cuius pœnæ in hac innovantur.

Paulus deinde *V.* in Bulla proxime citata ſupradictas Bullas cum ſuis pœnis in omnibus innovat, & præterea alias addit, nempe privationem

vocis activæ & passivæ, atque facultatis interpretandi cum inhabilitate ad prædicta, omnibus reservatis, cõtra Concionatores, aut publice legentes, seu docentes contra præscriptum Bullarum suorum Prædecessorum, & transgressores subijcit Ordinarijs, & Inquisitoribus.

Gregorius tandem *XV.* in sua 29. præcitata, Constitutionem *Pij V.* in qua prohibuit, ne de huiusmodi controversia vulgariter disputaretur in concionibus, & publice; extendit etiam ad colloquia privata quoad partem affirmativam, ne quis scilicet imposterum audeat in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & alijs quibuscunque actibus publicis asserere, quòd B. Virgo Maria fuerit concepta cum peccato Originali, ac etiam in privatis colloquijs. De hac ergo parte affirmativa non est amplius loquendum, sed illi silentium omninò imponendum.

Quæ-

Quæres II. Quid veniat nomine *Conceptionis?* Respondeo venire *immaculatam.* Colit enim Conceptionem Ecclesia, quæ rem maculatam non colit. Nec id potest intelligi de Conceptione *sanctificata*, quia sanctificatio, & Conceptio sunt omninò diversa, adeò quòd qui colit Conceptionem, non dicitur venerari sanctificationem, ut expresse docuit *Sixtus V.* in Bulla prædicta. Sed ad maiorem horum lucem, firmiusque robur, vide Constitutionem Alexandri Papæ VII.

Octavò *Gregorius XV.* Constit: sua 27. incipiente. *Romanus Pontifex in specula*, revocat quascunque concessiones vivæ vocis oraculo factas. Et *Urbanus VIII.* in sua, quæ incipit. *Aliàs felicis recordationis Gregorius*, eam revocationem extendit ad quoscunque quantumvis privilegiatos & exemptos.

Quaæes I. Quid sit vivæ vocis

raculum? *R*eſpondeo. Eſt conceſſio, ſeu gratia oretenus facta, ſine ſcriptura à ſummo Pontifice. Unde non ſolùm conceſſiones factæ per Bullam, non dicuntur oracula vivæ vocis, ſed etiam illæ, quæ fiunt per ſignaturam Papæ, quando ſcilicet ipſe alicui petitioni propria manu ſubſcribit, vel ſolûm ſcribendo *Fiat*, quia tales conceſſiones non fiunt oretenus, ſed etiam manu.

Quæres II. Quænam vivæ vocis oracula revocata ſint? Reſpondeo, non eſſe revocata ea vivæ vocis oracula, quæ conceſſa ſunt generaliter omnibus Fidelibus, aut omnibus Eccleſiaſticis, ut enim patet ex Conſtitutionibus relatis, ſolùm revocantur eæ conceſſiones, & gratiæ vivæ vocis oraculo factæ quæ fuerunt conceſſæ Superioribus & Perſonis cuiuſcunque Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, vel ipſis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus & Inſti-

tutis,

tutis, ut patet ex verbis ipſis dictorum Pontificum. Ita *Lerana* Voc: *Oracula vivæ vocis num: 5.* cum alijs ibi citatis, *Peyrinis Tomo 3. Privileg: Minim.*

Nec ſub hac revocatione veniunt Privilegia declarativa aliorum Privilegiorum, Sacrorum Canonum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum, aut ſtatutorum Religionis. Quia cauſa finalis, quæ movit hos Pontifices ad faciendam hanc revocationem, erat, quia uſus illorum erat ut plurimum in detrimentum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ut patet ex Bulla *Urbani VIII.* Privilegia autem huiuſmodi declarativa, non ſunt in detrimentum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſed multùm conducunt ad conſervationem Religioſorum in Regulari obſervantia. *Lerana* ubi ſup: *Navarrus in Lucerna Regularium* Ver: *Privilegia num: 5. Bordonus Reſolut: 31. num: 5. &c.*

Præterea non cenſentur revocatæ

conceſſiones factæ per vivæ vocis o-racula, quæ ſunt ſortita ſuum effectũ, licet effectus habeat tractum ſucceſ-ſivum pro futuro tempore. Unde ſi aliquis Religioſus habuit gratiam an-te has Conſtitutiones à Pontifice, ſolo vivæ vocis oraculo, quod eſſet Magi-ſter, &c. non cenſeatur revocata. Ita enim ad inſtantiam *Fratris Dominici de Molin: Ordinis Prædicatorum* , *&* *Procuratoris omnium Religionum*. Mẽ-dicantium, & non Mẽdicantium, Pro-vinciæ Bethicæ reſpondit ſacra Con-gregatio Regularium die 2. Aprilis 1625.

Nota tamen, ſi aliquis Religioſus ha-beret per aliquod vivæ vocis oraculũ ſibi conceſſam facultatem, v. g. diſpen-ſandi, vel abſolvẽdi quemlibet ad ſe ve-nientem in caſibus reſervatis, & ta-lem facultatem non exercuit, revo-catam cenſeri per dictas Conſtitutio-nes, quia illa non eſt ſortita ſuum ef-fectum, neque habet tractum ſucceſ-

ſivum,

ſivum, per unicum ſolum actum, prout illum habent gratiæ relatæ in declaratione ſacræ Congregationis.

Inſuper per dictas Conſtitutiones non revocantur vivæ vocis oracula, quæ licet primotenus, verbotenus conceſſa ſunt, poſtea tamen per Bullam, vel Breve fuerunt confirmata. Ratio eſt, quia iam prædicta vivæ vocis oracula, deſinunt eſſe talia, & fiunt veluti conceſſa per dictas Bullas, & Brevia.

Deinde, ſi privilegium per Bullam uni Religioni conceſſum, vivæ vocis oraculo alteri communicetur, probabile ſatis eſt, tale vivæ vocis oraculum non revocari per dictas Conſtitutiones. Nam vere non eſt ſimpliciter vivæ vocis oraculum ſed privilegium Bullarum.

Quæres III. An revocata ſint illa vivæ vocis oracula, quæ continent gratiam omninò favorabilem, & nulli præjudicialem? Reſpondeo affirma-

tive. Nam Constitutiones citatæ universalissime loquuntur, & alias sequi videretur inutilem ferme esse revocationem per illas factam, cùm fere omnia vivæ vocis oracula Religionibus, aut Religiosis concessa, concernant, saltem regulariter loquendo forum conscientiæ, nec aliys præiudicium afferant.

Sub eandem revocationem cadunt vivæ vocis oracula concedentia Indulgentias. Quia Pontifex *Gregorius* revocat omnes gratias, & concessiones quascunque spirituales, & Ecclesiasticas, tam ad forum interius, quam exterius spectantes. Similiter *Urbanus* revocat omnes & quascunque gratias, & nomine *gratiæ* jure intelligendæ veniunt etiam *Indulgentiæ*.

Nonò, Ijdem Pontifices, *Gregorius* quidem Constit: 40. quæ incipit *Apostolatûs officium*. *Urbanus* autem constit: 114. eodem modo incipiente, revocant licentias quascunque legendi, vel

i, vel habendi libros prohibitos.

Quæres I. An per Bullam *Urbani VIII.* Episcopis sublata sit licentia habendi & legendi libros prohibitos, & facultas licentiandi alios ad habendum, vel legendum libros huiusmodi? Respondeo, esse sublatam, Ait enim Bulla, libros *quomodolibet prohibitos*, se interdicere, *Quibuscunq; personis, Laicis, & Ecclesiasticis, quacunq; dignitate, etiam Ecclesiastica fulgentibus, etiam speciali notâ, & mentione dignis.*

Neque dicas præcitatam Bullam *Urbani* revocare præcise licentias legendi libros prohibitos; Episcopus verò non indiget licentia huiusmodi, quia ex officio illos legit ad confutandos errores; nam licentia non est necessaria in ijs, quæ aliâs de se, & de jure sunt concessa. Contra enim est, nullo jure probari Episcopum ex officio posse legere libros prohibitos; tenetur quidem ex officio, expurgare li-

re libros nondùm prohibitos, nam prohibiti sufficienter purgantur per ignem; is enim debet esse executor prohibitionis, atque etiam procurare, ne quis apud se illos retineat, aut legat, quæ præstare potest sine illorũ lectione, aut retentione, cùm in Bulla dicatur, ut statim comburantur.

Quod dixi de Episcopis, applicandum etiam est Inquisitoribus (nisi habeant specialem licentiam) cùm à fortiori videatur facultas sublata istis, quam Episcopis, qui ex Officio sunt antiquiores. Deinde ex præscripto Bullæ, libri Inquisitoribus delati comburendi sunt, ergo frustratur illorum licentia. Si tamen specialem licentiam habeant, adhuc alios ad legendum libros prætactos, licentiare non possunt. Aliud enim est, habere licentiam, aliud licentiare alios, ex diversis autem non fit illatio, maxime in odiosis.

Eadem facultas sublata est Prælatis Re-

is Regularium, ut ex Bulla ejuſdem *rbani VIII.* colligitur. Præterea dem Pontifex vult in Decreto ſupra xpreſſo, Conſtitutiones editas, & dendas in concernentibus Catho- cam Fidem, & Officium Inquiſi- onis ſanctæ, comprehendere omnes eligioſos, derogando in his quibus- unque eorum Privilegijs, & ſic & centijs legendi libros prohibitos. emum ſi Epiſcopis & Inquiſitori- us ea licentia ſublata eſt, ut dixi, fortiori ipſis Regularibus ſublata enſebitur.

Idem dic de Regibus, & Impera- ore, ex illis Bullæ verbis. *Quibus- unque Perſonis, Laicis, & Eccleſi- ſticis, cujuscunque ſtatûs, conditio- is, qualitatis, & præeminentiæ, etiã eccali notâ & mentione dignis.*

Quæres II. An in aliquo caſu ne- eſſitatis occurrentis, poſſint libri rohibiti legi, aut retineri? Reſpõ- eo negativè. Ratio eſt, quòd Bul-

la di-

la dicat, eos quantocjus comburi debere, versum autem *debet* importat necessitatem exequendi. *Glossa ver. debeat*. Nec video causam necessitatis, quia libri prohibiti, uti aboliti per sententiam, ad nihil deserviunt, ac proinde nullam necessitatem inferre possunt. Unde non subsistit, quod dicit *Naldus*, illos nimirũ retineri posse ad effectum judicandi, an possint recipere correctionem, quia cum jam sint damnati nullam possunt recipere correctionem, aliter supremum Tribunal cuius est libros damnare, defecisse prohibendo libros, qui potuissen corrigi, & permitti, & jubendo, u eiusmodi libri omninò comburantu

Quæres III. An habens licentia legendi libros prohibitos, possit ill uti extra Territorium concedentis ac proinde ubique terrarum? Res posse. Quia est Privilegium persona le, quod sequitur personam, quo cunque pergit. Nisi limitetur locu in quo legendus sit liber prohibitu

nam

nam privilegium tantùm valet, quã-
um ſonat.

Quæres IV. A quo Iudice, & quibus pœnis puniendus ſit legens, aut retinens libros prohibitos? Pro ſolutione nota, ex triplici fine libros prohiberi. Primò, quia continent hæreſim. Secundo, propter ſuſpicionem hæreſis. Tertio, propter obſcænitates. Reſpondeo iam quæſtionem hanc reſolvi ex Bulla *Pÿ IV.* quæ incipit *Dominici gregis* regiſtrata in *Indice*, ubi legitur. *Qui hæreticorum libros vel cuiusvis Auctoris ſcripta propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionẽ damnata, atq; prohibita legerit, habueritvè, in excommunicationis pœnam ipſo jure incidat, eamq; ob cauſam in eum tanquam de hæreſi ſuſpectum inquiri, & procedi liceat.* Ab Inquiſitore igitur hæc pœna ferri debet. Et licet Bulla loquatur tantùm de primis duobus caſibus, nihilominus extenditur jurisdictio Inquiſi-

quisitorum etiam ad tertium, prouti responsum fuit Inquisitori *Cremonæ*, sub die 21. Ianuarij 1627. Si quis verò legat, aut retineat libros prohibitos alia ex causa, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio severè se noverit puniendum. Ita expressè *Pius IV.* in Bulla citata. Plura vide in Bulla *Cœnæ Dòmini.*

Excusat tamen ab his parvitas materiæ, ea enim excusat à mortali peccato, sine quo excõmunicatio major non incurritur. Parvitatem autem materiæ in hac parte, alij putant pauca verba, alij decem lineas, alij unam paginam. Ego existimo, quòd sicut in materia furti illa dicitur parva materia, in qua spectatis circumstantijs non infertur nocumentum grave illi, cui res aufertur, sic in præsenti, eam dicendam parvitatem materiæ, per cuius lectionem, inspectis circumstantijs libri, legentis, &c. non timetur grave periculum perversionis ipsi legenti. Quæ-

Quæres V. An legens, seu retinẽs libros prohibitos, denuntiandus sit inquisitori? Respondeo affirmative. Sic enim habent Edicta Inquisitorum, quæ vide apud *Bordonum Sacri Tribunalis cap: 14.*

Quæres VI. An legens librum Hæretici nondum damnati, incurrat censuras taxatas? Respondeo affirmative. Quia condemnatio non constituit Hæreticum, sed iam existentem, talem declarat, ac proinde ante condemnationem est vere Hæreticus, de quo in Bulla, in qua non solùm mentio fit de hæreticis sectarijs ibidem expresse nominatis, sed de alijs quibuscunque, ut colligitur ex verbis illis, *Ac omnes & singulos alios hæreticos quoquo nomine censeantur.* Necesse verò est, ut legens, seu retinens librum, sciat illius auctorem esse Hæreticum, quia ignorans non peccat, neque incurrit pœnas, quæ peccatum supponunt.

Quæres VII. Quis incurrit has pœnas apud Regulares, si retineantur huiusmodi libri in suis Bibliothecis? Respondeo. Incurrit Superior Monasterij, & Custos Bibliothecæ; isti enim propriè dicuntur retinere, quia habent curam librorum ex officio. Incurrit etiam ille Religiosus, qui extractum de loco retinet in sua camera, sive id faciat de licentia Superioris, sive non.

Quæres VIII. An retinens alienum librum prohibitum, apud se depositum, has pœnas incurrat? Respondeo, quòd sic. Quia verba Bullæ sufficienter verificantur, cum retineat librum prohibitum; neque enim Bulla requirit, vt liber sit proprius retinentis. Et ex vulgatis juribus, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Quæres IX. An legens librum, quem nullatenus intelligit, incurrat? Respondeo negative, juxta illud Catonis,

onis, *Legere, & non intelligere, est negligere, id est, non legere, negligere* enim, est compositum ex *non* & *legere.* ..t *Ioan: 22. de verborum signif:* dicit quòd *legere, sine intelligere parum est.*

Quæres X. Quomodo quis dicatur defendere librum Hæretici, ad effectum incurrendi excommunicationem? Respondeo, ille dicitur defendere librum Hæretici, qui aliquid dicit, vel agit in favorem libri, prout Hæretici, laudando, approbando, scribendo protegendo librum, aut impediendo, ne inveniatur, comburatur, ne tradatur Inquisitoribus, &c. Laudans stylum aut ingenium Auctoris, non defendit librum uti Hæreticum. Ita omnes cum *Bonac: Disp: 1. Bullæ q. 2. p. 4. n. 20.* sed nunquid defendens unicam hæresim, incurrit? Dico, quòd sic. Quia dicitur defendere librum, licet unicam ejus probet, ac laudet hæresim. Qui tamen defendit librum, in quo unica est hæ-

resis, non incurrit, quia liber non est de hæresi ex professo.

Quæres XI. A quibus non incurritur hæc excommunicatio? Respondeo. Non incurritur ab eo, qui legit libros aliorum infidelium, scilicet Gentilium, Hebræorum, Mahometanorum, &c. quia isti non sunt Hæretici, & textus solùm loquitur de hæreticis. Excluduntur etiam libri hæreticorum, non continentes hæresim, neque de Religione tractantes, cùm Bulla loquatur de libris hæreticis, de hæresi, vel Religione tractantibus. Præterea non excluduntur libri *Origenis*, & *Tertulliani*, licet habeant errores contra fidem, quia ab Ecclesia ob communem utilitatem permittuntur, imò nunc sunt expurgati. Item non incurrunt legentes libros Catechumenorum, qui à fide defecerunt, quia isti non subsunt Ecclesiæ jurisdictioni, cùm intra ipsam ingressi non fuerint per portam, quæ est Baptismus. Quæ-

Quæres XII. An quis propria au-
horitate poſſit comburere libros pro-
ibitos? Reſpondeo negative. Tum
quia adeſt obligatio tradendi Inqui-
itoribus ex Bulla *Iulij III.* de qua
Azor: par: 1. lib: 8. q. 16. q. 11. &
x eorundem Inquiſitorum Edictis.
Tum quia per privatam authoritatem
comburens, impedit jus Inquiſitoris
inveſtigandi cuiuſnam ſit liber, & a-
pud quos antea fuerit. Tum quia
ſicut hæreticus deferendus eſt ad ſan-
ctum Tribunal, ſic & liber, acceſſori-
um enim ſequitur naturam ſui prin-
cipalis. Unde & comburentes incur-
runt excommunicationis pœnam ab
Inquiſitoribus poſitam. Ita *Delrius*
lib: 5. ſec: 7. Sanchez: lib: 2. cap:
10. num: 56. Farinac: quæſt: 180.
n. 40. Lerana Tomo 4. Ver: *Libri*,
num: 16. Ricciull: lib: 5. cap: 24. ſua
p. de Fide, Diſp: 20. ſec: 2. num: 23.
Portell: Ver. *Libri, num: 13.*

Quæres XIII. An libri prohibiti
combu-

comburendi ſint ab Inquiſitoribus Reſpondeo affirmative. Tum qui hæreticorum libri comparantur Zizaniæ ex Divo *Auguſtino in quæſt: Evangel: ſuper caput. 13. Matthæi:* ſed Zizania alligatur in faſciculos, & traditur comburendum igni, ex eodem *cap: 13.* ergo & hæreticorum libri Tum quia libelli famoſi lacerandi ſunt & comburendi. *L. Un: C. de libell: famoſ:* qui tantùm lædunt famam proximi, ergo à fortiori libri hæreticorum, quibus hæretici conantur deſtruere fidem Catholicam, in convitium & contumeliam Divinæ Maieſtatis.

Quæres XIV. An habens licentiam legendi libros prohibitos, vel aliter illos apud ſe habens, teſtari de illis poſſit? Reſpondeo negative. Quia habens huiuſmodi libros, comparatur Religioſo Profeſſo, in eo quòd ſicut hîc teſtari, & diſponere non poteſt de rebus, quas ex licentia Superioris

s ſui habet, ita neque de libris pro-ibitis de licentia habitis quis teſta-i poteſt, eò quòd nihil proprij ſu-er illos habet, ſolus enim ſimplex ſus lectionis illi conceditur.

Decimò. *Urbani VIII.* Conſtitu-io 37. quæ incipit *Sanctiſsimus Do-ninus noſter* agit de imaginibus non-um á ſede Apoſtolica canonizato-um vel beatificatorum, cum radijs, plendoribus, aut laureolis, non pro-onendis, tabellis, aut luminaribus d eorum ſepulchra non apponendis, eorumve geſtis, miraculis, revelati-nibus, beneficiorum impetrationi-us, non publicandis, aut imprimen-dis.

Quæres I. Prædictorum tranſgreſſores quibus pœnis afficiantur? Reſpondeo. Eos ſi regulares fuerint privari à Pontifice, ubi ſupra voce activa & paſſiva, nec non à Divinis ſuſpendi. Si verò ſint Clerici ſæculares, privari ſuis officijs, ſuſpendi à Di-

vinis,

vinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, executioneq́; ſuorum ordinum reſpective, alijq́; pœnis arbitrio Ordinariorum, aut Inquiſitorum plecti. Qui autem libros impreſſerint, aut imagines pinxerint, ſculpſerint, vel formaverint, vel quoquomodo quicunque artifices circa præmiſſa qualitercunqne deliquerint, prædi- omnia amittunt, & inſuper pecuniarijs, alijſque etiam corporalibus pœnis juxta criminis gravitatem eorundem Ordinariorum & Inquiſitorum arbitrio afficiendi ſunt.

Quæres II. An depingi poſſint imagines horum, qui obierunt cum opinione ſanctitatis, ſive ſignis ſanctitatis? Reſpondeo affirmative. Nam ſi aliorum hominum etiam non eximiorum, imagines depinguntur, non venerationis cauſa, ſed ut eorum memoria apud alios conſerventur, quidni idem cum opinione ſanctitatis decedentibus præſtari poſſit.

Quæres

Quæres III. An huiuſmodi imagines ſine laureis, radijs, & ſplendoribus depictæ exponi poſſint in Eccleſijs ad ornatum? Reſpondeo affirmative, modò non apponantur Altaribus. Ratio eſt, quia non ſunt in hoc deterioris conditionis, quàm imagines aliorum virorum, uti Imperatorum, Regum, & aliarum perſonarũ memoriâ dignarum, quarum imagines appenduntur in Eccleſiarum parietibus ad ornatum. Non autem ſuper Altaria, quia in tali ſitu collocatio, arguit potiùs cultum quàm ornatum.

Quæres IV. An eiuſmodi viros venerari poſſimus ſaltem occulte & privatis honoribus? Reſpondeo poſſumus. Quia in decreto prohibetur ſolùm cultus publicus, conveniens tantùm Sanctis, ſeu Beatis, ab Eccleſia declaratis, vel pro talibus habitis ab antiquo tempore. Quare venerari eos non poſſumus per invocationem in Li-

in Litanijs, in orationibus Missalis, aut Breviarij, nec in publicis concionibus sanctos, aut beatos appellare, aut invocare, nec illis templa, oratoria, eremitoria, altaria erigere, &c. hæc enim omnia ad cultum publicũ spectant, possunt tamen scandalo cessante etiam alijs scientibus in privatis colloquijs, aut precibus sancti & beati nominari, ac invocari, sicut egisse constat *S. Gregorium Nazianzenum in oratione de Sancto Athanasio*, & altera, *de Sancto Basilio*, & Sanctũ *Hieronymum in vita Paulæ* pro tempore, quo *Athanasius*, *Basilius*, *Paula*, ab Ecclesia universali inter Sanctos recensiti non erant.

Quæres V. An illorum sepulchris aptari possint vota, ut communiter fit Beatis, & Sanctis ab Ecclesia recognitis, in gratiarum actionem beneficiorum receptorum? Respondeo. Possunt modo recipiantur attestationes eorum, qui gratiæ factæ conscij sunt, & refe-

referantur ad Ordinarium, hoc eſt
d Epiſcopum loci, qui illas appro-
are debet. Licet enim quandoque
omine *Ordinarij* veniant etiam Su-
eriores Regulares, nihilominus hîc
ocum habere non poſſunt, quia hæc
nateria tangit *Officium ſanctæ Inqui-
ſitionis*, in quo caſu Regulares etiam
Superiores pro ſubditis habētur. Nec
noc loco venit ſub nomine *Ordina-
rij* Inquiſitor, cùm in Decreto Pon-
tificio, contradiſtinguantur Inquiſi-
tores ab Ordinarijs. Præterea vota
illa in ſecreto aliquo ſeorſim ab Ec-
cleſia loco cuſtodienda ſunt. Quæ
omnia probantur ex decreto *Urbani
VIII.* dato 2. Octobr: 1525.

Quæres VI. Quid velit Pontifex, dum in Bulla *Sanctiſsimus Dominus noſter* num: IV. declarat, quòd per ſupraſcriptas prohibitiones præiudicare in aliquo nolit, neque intendat ijs, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem tem-

poris

poris curſum, aut per Patrum, viro rumq; Sanctorum ſcripta, vel longiſ ſimi temporis ſcientiâ, ac toleranti: Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarij, co luntur. Nota nonnullos Dei ſervo publicum cultum acquiſiviſſe ſin formali beatificatione, aut canonizati one ex ſupra dictis cauſis. Quæres ergo an *per communem Eccleſiæ conſenſum* veniat etiam conſenſus unius Civitatis? Deinde qualis curſus temporis immemorabilis ſufficiat.

Ad I. Dico, ſufficere conſenſum unius Eccleſiæ Epiſcopalis & Diœceſanæ, quælibet enim Eccleſia particularis dicitur Eccleſia, ergo â fortiori Eccleſia Epiſcopalis, & hanc ſufficere colligitur ex poſtremis verbis, dum in Decreto dicitur, *non præiudicari ÿs, qui ex ſcientia ſeu tolerantia Ordinarÿ coluntur*, ſufficit ergo conſenſus Eccleſiæ Epiſcopalis, & tolerantia Epiſcopi. In ſingulis fere Civitatibus habentur peculiares

Sancti,

Sancti, & Beati, qui ab incolis coluntur, quamvis in Martyrologio Romano non inveniantur, uti *Parmæ Sanctus Ioannes primus Abbas, Sanctus Ioannes Evangelista, Moderannus in Castro Berceti, &c. Beati Domini Presbyteri, Ioannis Buralli Generalis Ordinis Minorum, Ursolina Virgo, &c.*

Ad II. Respondeo, temporis cursus immemorabilis dicitur spatium annorum centum, ex *Baldo, Cæpola, Zabar. Felin.* apud *Gabriel. de præscript. Concil. 1. num. 71. Rota Rom. vol. 4. decis. 583.* Et ita declaravit *Vrbanus* in prædicta Bulla his verbis: *Insuper longissimum tempus, illiusq; immemorabilem cursum, de quo in prædicto Decreto intelligi declaravimus, esse tempus centum annorum.*

Quæres VII. An in impressione librorum, qui tractant de vita & gestis Beatorum, seu Sanctorum antiquorum ex communi Ecclesiæ consensu juxta dicta quæst. præcedenti, servan-

ſervanda ſit forma præſcripta in decreto, ne ſcilicet imprimantur ſine ſpeciali examinatione, & approbatione Epiſcopi, & habita reſponſione Sacræ Congregationis? Reſpondeo negativé. Quia hoc Decretum emanavit præciſe reſpectu eorum hominum qui non per communem Eccleſiæ conſenſum, aut non per ſcientiam, & tolerantiam Epiſcopi coluntur, ut expreſſe ibidem dicitur, ſed tantùm reſpectu illorum, qui paucis ab hinc annis deceſſerunt, & in dies decedunt cum fama ſanctitatis, aut Martyrij, pro quibus ſupradicta forma omninò ſervanda.

Quæres VIII. An prædicta forma ſpecialis licentiæ Ordinarij approbantis miraculum, vel beneficium receptum cum reſponſione ſacræ Cõgregationis obſervanda ſit, quando aliquis Sanctus, vel Beatus ab Eccleſia recognitus, vel pro tali habitus juxta *n. 4.* edit novum miraculum,

vel gra-

el gratiam? Reſpondeo, ea forma ervanda non eſt, quia illa reſtrin-itur ad miracula, revelationes, & lia beneficia, quæ fiunt ab his ho-ninibus, qui decedunt cum fama anctitatis, aut martyrij, quare ex-endenda non eſt ad Sanctos, nec Be-tos ab Eccleſia beatificatos, vel ſan-tificatos, neque ad antiquos curſu ongiſſimi temporis cultos ex ſcien-ia & tolerantia Epiſcoporum. Ni-hilominus horum etiam miracula & beneficia à fidelibus in dies recepta approbanda ſunt ab Epiſcopo, voca-tis in Conſilium Theologis, & alijs pijs viris, juxta *Trident. initio, ſeſſ. 25. in titulo de invocatione & vene-ratione Sanctorum* prope finem.

Quæres IX. An liceat reliquias hominis non canonizati habere & venerari? Reſpondeo. Eas in templo conſtituere publice honorandas, pro-pter ſupra dicta non licet, habere tamen, & eas venerari licet etiam alijs

alijs videntibus, modo ſcandalum abſit. Id enim habet praxis Eccleſiæ, mox enim ac Martyres defuncti erant, currebant fideles ad Reliquias rapiendas, & ſimiliter quando moriuntur homines clari ſanctitate, multi devote oſculentur manus, & pedes illorum & de veſtibus eorum pro reliquijs ſervant, nec id unquam prohibitum fuit. Præterea ſi licet honorare viventes, quos credimus Sanctos, cur non mortuos?

Undecimò. Pariter *Urbanus VIII.* Conſtitutione ſua 50. jubet libros ubicunque compoſitos; de quacunque materia tractantes, ab his, qui degunt in ſtatu Eccleſiaſtico non tranſmitti aliò, ut imprimantur, ſine *Vicarÿ* & *Magiſtri ſacri Palatÿ* in *Urbe*, vel extra eam, ſine Ordinarij, & Inquiſitoris, aut ab eis deputatorum licentia: & conſequenter ubi munus id ad *Univerſitates* & *Academias* pertinet, ſine Cenſorum ibi deſignatorum facultate. Quæ-

Quæres I. Quis ſtatus dicatur *immediatè*, quis *mediatè* ſubiectus Apoſtolicæ Sedi? Reſpondeo. *Immediatè* ſubiectus dicitur ille, qui immediate gubernatur á Miniſtro Sedis Apoſtolicæ, ut *Bononia*, *Ferraria*, *&c.* Mediate ſubijcitur ille, qui gubernatur ab aliquo feudatario Eccleſiæ, ut *Parma*, *Placentia*, &c. Ita *Rota Rom: vol: 3. lib: 3. deciſ: 18. n. 4.*

Quæres II. Quid intelligatur in hoc Decreto per degentes in ſtatu Eccleſiaſtico? Reſpondeo. Intelligi habitantes, non verò qui obiter per tranſitum, aut ad breve tempus ibi exiſtunt. Quia *degere* ſignificat *habitare*, ut habetur §. *penult: inſtit: de uſu & habit.* De quo *& Sanchez lib: 3. de Matrimonio diſp: 23. n. 12.* Advertendum tamen eſt, quòd in procemio ipſius Decreti non videatur eſſe ſermo de degentibus, ſed de exiſtentibus ut patet illo verbo, *nonnullorum exiſtentium*: quia tamen in ſe-

quentibus bis ſermo eſt de degentibus, ideò prædictæ expoſitioni ſtandum eſt, maxime cùm materia ſit pœnalis. Pro maiori autem parte anni degens in ſtatu Eccleſiaſtico acquirit quaſi domicilium, teſte *Sanchez lib: 3. de Matr: diſp: 23. n. 12.*

Quæres III. Quæ ſit cauſa finalis huius Decreti? Reſpondeo. Me putare, ne Typis mandentur aliquæ doctrinæ contrariæ ſtylo *curiæ Romanæ*, aut in ſtatu Eccleſiaſtico non permiſſæ, de quibus alibi non curatur.

Quæres IV. An Regularis degens in ſtatu Eccleſiaſtico, ſubſit pœnis huius Decreti, ſi editurus librum à ſe compoſitum de licentia ſuorum Superiorum domicilium transferat extra ſtatum Eccleſiaſticum præciſe ad effugiendã obligationem præfati Decreti? Reſpondeo. Non ſubeſt, etiamſi transferat domicilium, illud repetiturus ſtatim, ac evaſit obligationem dicti Decreti, nimirùm cùm

primùm liber fuerit impressus. Utitur enim jure suo, & utens jure suo nemini facit iniuriam. Obtinenda tamen semper est facultas à Censoribus eo in statu deputatis, quæ modificatio sequentibus etiam resolutionibus semper adhibenda est. Confirmatur ex *Sanchez lib: 3. de Matr: disp: 18. n. 21. Navar: Lopez: & Rodrig:* docentibus, non delinquere proficiscentem die festo ad locum, ubi eiusmodi festum non obligat, gratiâ exercendi opera servilia, cùm lex non obliget extra locum obligationis incolam illius, & non vetet exitum à loco, in quo obligat.

Imò cùm præsens decretum solùm prohibeat, ne degens intra statum Ecclesiasticum, extra illum imprimere faciat libros â se compositos, &c. potest alicui videri non improbabile, Prælatum Regularem non obstante hoc Decreto posse libros conscriptos à suis subditis existentibus intra

ſtatum Eccleſiæ, eos mittere imprimendos extra ſtatum Eccleſiaſticum ſine approbatione Ordinarij, ac Inquiſitoris loci, in quo degunt Authores illorum librorum; cùm ſic Prælatus non edat libros à ſe compoſitos (quod ſolùm conſtat prohiberi in hoc Decreto) & aliàs verſemur in materia pœnali, quæ non eſt amplianda, ſed reſtringenda ad caſus expreſſos, ſecundum propriam verborum ſignificationem.

Addo, quòd ſi Regularis extra ſtatum Eccleſiæ degens, tunc temporis aliquem edidit librum à ſe compoſitum, ſi poſtea transferat domicilium intra ſtatum Eccleſiæ, & tunc iterum velit edere dictum librum, item extra ſtatum Eccleſiaſticum; non obſtante illo Decreto *Urbani VIII.* non videtur cogendus illum ſubijcere approbationi Ordinarij, ac Inquiſitoris loci in quo de præſenti habitat: Siquidem Decretum loquitur ſolùm de

libris

libris imprimendis; & cùm ſit maxime odioſum, non debet ampliari ad libros reimprimendos; cùm hoc ſit quid diverſum, & à diverſis non fiat illatio.

Nec obſtat, quòd reimprimens librum, à ſe aliàs impreſſum incurrat pœnas latas contra imprimentes librum indebite; ſi illum de novo non ſubijciat approbationi Superiorum, nam ibi loquitur de libri reimpreſſione reſpective ad jus commune editum circa librorum impreſſionem & approbationem, hîc verò loquimur reſpective ad Decretum præfatum *Urbani*, quod cùm non faciat mentionem de librorum reimpreſſione, ad eam non debet extendi, manente tamen obligatione juris communis hac de re editi, quod utique debet obſervari.

Licet autem etiam videri poſſit probabile, non incurri pœnas taxatas in eventu, quo Author libri illũ

donet amico ad effectum, ut facia illum imprimere extra statum Ecclesiasticum, contra prohibitionem hujus Brevis; quatenus in hoc dicitur: *Nemo in statu prædicto* (id est Ecclesiastico) *degens libros de quavis materia tractantes, & ubivis compositos audeat aliò deferre, aut mittere imprimendos, &c.* Quæ non videntur hîc verificari; cùm Author libri reverá illum non deferat aliò, aut mittat ad imprimendum, & alias pœnæ sint molliendæ, non exasperandæ. *l. Interpretationem, ff: de pœnis.* In hoc tamen facit difficultatem, quòd in tali casu intercedere videtur fraus, ac dolus, at nemo ex suo dolo debet juvari. *l. non debet, ff. de dolo malo, & fraus debet in suum Authorem retorqueri, l. pen: C. de leg:* quamquã possit opponi his juribus, quòd dolum nulli facit, qui utitur jure suo. *L. non utitur, ff. de Reg: jur.*

Nec eæ pœnæ incurruntur, si Author

thor libri incipiat degere in ſtatu Eccleſiaſtico, poſtquam liber cœptus eſt imprimi extra, nec poſtea deſiſtat ab impreſſione. Patet, tum quia ſic non verificatur à degente in ſtatu Eccleſiaſtico mitti, aut deferri librum ad imprimendum; cùm Author, quo tempore miſit librum, non degeret in ſtatu Eccleſiaſtico, ſicq; caſus iſte non comprehenditur ſub Brevi.

Neq; ſub prohibitione huius Brevis comprehenditur impreſſio ſcripturæ, quæ moraliter dici non poſſit liber; cùm in Brevi fiat mentio ſolùm de libris: *Libros de quavis materia tractantes*, & alioqui ſimus in materia odioſa, quæ debet non ampliari, ſed reſtringi, ſcripturaque in rigore non ſit, nec dici poſſit liber: præterquã quod hic facit doctrina, quam in ſimili tradit *Sanchez l. 2. mor: cap: 10. num: 31.* Nomine verò ſcripturæ venit ea, quæ non continet tot folia, ut a librarijs ſoleat communiter ligari tanquam liber. Quæ-

Quæres V. Quibus pœnis huius Decreti transgressor subijciatur? Respondeo. Ex eodem Decreto, libros eiusmodi, præter alias pœnas arbitrio suæ Sanctitatis infligendas, absq; alia declaratione ex nunc prohiberi, & pro expresse prohibitis haberi.

Quæres VI. In librorum editione quid servandum est? Respondeo. Ne sine approbatione Ordinarij, ac Inquisitoris loci, aut Censoris, ad quē id spectat in quo liber imprimi debet, & proprij Prælati Regularis licentia (si librum editurus, regularis sit) & Authoris proprij nominis appositione, ac probatione ipsa apposita, prælo mandentur. Ita enim habetur in Concilio *Lateranensi*, sub *Leone X.* in *Concilio Trident: sess: 4. & Indice librorum*, sub pœnis locis allegatis contentis.

Quæres VII. Quid si Generalis alicuius Ordinis velit imprimere librum,

brum

brum aliquem à ſe conſcriptum? Reſpondeo. In tali caſu non eſſe opus, ut intra ipſum Ordinem obtineat licentiam illum imprimendi, cùm non habeat in Ordine ſuperiorem (de quo Tridentinum loquitur) à quo illam impetret, & alias ipſe ſibi eam dare poſſit, non ſecus ac alijs, ne illis deterioris conditionis ſit. Ita *Pellizarius Tract. 6. cap. 4. n. 27.* & viri valde docti ab illo conſulti. *Bordonus, Reſolutionum par. 2. Reſol. 48. n. 28.* Confirmatur. Poteſt Generalis ſe licentiare ad abſolutionem, ut probat idem *Bordonus Reſol. 3. n. 23.* ad electionem Confeſſarij ut probat *Reſol. 34. n. 33. & 34.* ad caſus reſervatos, ut probat *Reſol. 39. n. 63.* ad diſpenſationem, ut probat *Reſol. 10. n. 13. & Reſol. 11. n. 55.* Ergo idem facere poteſt reſpectu impreſſionis Librorum. Nec obſtat, quòd in exemplis allatis negotium exercetur per tertium, qui patet in locis citatis

ſaltem diſpenſationem poſſe exercere ab ipſomet Prælato in perſonam propriam judicando ſe indigere tali diſpenſatione, ſic etiam judicare poteſt ſuum opus eſſe integrum, ſanum, & alienum ab erroribus, cum totis viribus elaboraverit, ut doctus, & ſcientificus exeat ſine ulla ſuſpicione erroris.

Quæres VIII. An Regulares ſubſint pœnis in locis citatis expreſſis, ſi edant de novo librum alias impreſſum. eum de novo non ſubjicientes examini, & approbationi Ordinarij, ac Inquiſitoris, aut Cenſoris, ut ſupra? Reſpondeo ſubſunt, quia quòd liber alias fuerit impreſſus, non facit, quominus adhuc ſubſiſtat finis illum iterum examinandi, cùm poſſit contingere, ut qui alias eum examinârunt, ex incuria, aut imperitia aliqua in eo prætererint, quæ indigebant correctione, unde non eſt fruſtraneum examinare libros alibi impreſſos:

pressos: sicut nec frustraneum est, quod Episcopus successor in sua Diœcesi per examen de novo approbet Confessarios à suo prædecessore iam approbatos: quòd videmus passim fieri, & quidem justissimè.

Quæres IX. An Regulares contrahunt eas pœnas si quem librum imprimere faciant absque legitima Superiorum approbatione, eò quòd certò sciant ex testimonio virorum doctorum nihil in eo reperiri dignũ censurâ, & consequenter cessare finem legis requirentis præfatam librorum approbationem? Respondeo quòd quamvis posset aliquis speculativé loquendo, sustinere id licere, ob doctrinam, quam tradunt *Navar. Mexia, Henriq. Angel. Sà, Camitol. Megala, Granado, & Abb.* apud *Dianam p. 1. tract. 10. resolut. 28.* quòd cessante adæquato fine legis in aliquo casu particulari, cesset obligatio legis pro eo casu particulari: hinc

infe-

inferentes cum eodem *Diana p. 5 tract. 14. resol. 96.* Laicum doctum sine peccato posse disputare de rebus fidei cum hæretico, ac infideli, non obstante, quòd hoc prohibeatur in cap. *Quicunq; de hæret. in 6.* practice tamen videtur oppositum omninò sustinendum, tum quia doctrinam illam negant communiter alij Doctores, ut videre est penes *Dianam* in cit. *resolut 28.* tum quia negari posset in præsenti casu cessare finem adæquatum legis in eo casu particulari, cùm præceptum non edendi libros sine approbatione Superiorum inductum sit, non solùm ad vitandum periculum prævaricationis sed etiam ad servandam debitam subordinationem fidelium erga Ecclesiam in rebus fidei: qui finis utique non cessat in præsenti casu: tum quia admissâ illâ doctrina graviter offenderentur Ordinarij, ac Inquisitores, qui pro inde nixi opinione op-

positâ

ositâ possent procedere contra usurpantes facultatem ipsis ex officio competentem; tum quia in propria causa nemo est bonus Iudex, præsertim in ijs, quæ subsunt foro contentioso, & alienæ præjudicant jurisdictioni.

Quæres X. An ijs pœnis subiaceant non apponentes nomen Authoris? Respondeo. Non esse improbabile, apponi posse nomen alterius, qui succedat in jus Compositoris, titulo donationis, aut hæreditatis, suisque expensis imprimi faciat librum proprio nomine, cùm is vere sit Author, si non compositionis, saltem impressionis, & Concilium non distinguat inter Authorem compositionis, & Authorem impressionis, sicque mens ipsius sufficienter impleri videatur hoc ipso, quòd apponitur nomen illius, qui librum curat imprimi.

Imò docet *Azor Par. 1. lib. 8. cap. 17. quæst. 3.* Ad implendum Concilij præceptum sufficere, quòd apponatur

natur libro impreſſo nomen *Academiæ Collegij*, ac *Univerſitatis*. In jure venit nomine *Perſonæ*, quamvis fictæ, unde & cum ipſis poteſt iniri contractus, & contra ipſa inquiri: tum quia *Collegium* & *Univerſitas* realiter loquendo, nihil aliud ſunt, quàm ipſæ perſonæ ſingulares, tum quia defacto editi ſunt libri cum ſimili nomine, ut *Collegium Conimbricenſe*.

Quæres XI. An Regulares poſſint puniri ab Ordinarijs, ac Inquiſitoribus, ſi forte in librorum impreſſione delinquant contra præallegata decreta, nec Cenſoribus, quibus id cõpetit, libros imprimendos ſubijciant? Reſpondeo poſſe, & probatur ex eo, quòd cui datur juriſdictio, ea quoq; concedi videntur, ſine quibus illa exerceri non poteſt. *l. 2. ff: de juriſd: omn: Iudic: cap: Paſtoralis, c. præterea, de offic: de leg:* Unde cum Ordinarij, & Inquiſitores vi ſupradicto-

um Decretorum conſtituantur Iudi-
es librorum, ſive ſcriptorum, ſive
npreſſorum conſequens eſt, ut &
pſis concedatur facultas coercendi
ranſgreſſores præfatorum Decreto-
um, ne alioqui juriſdictio illa con-
eſſa ſupra librorum divulgationem
eddatur inutilis, ac fruſtranea. Quòd
i talis juriſdictio extenditur ad Re-
ulares, etiam exemptos (quomodo
ere extenditur, attenta præſertim
Conſtitutione *Urbani VIII.* edita 5.
Novembr: 1631. quà declaratum eſt,
conſtitutiones Pontificias in concer-
nentibus fidem Catholicam, & ſan-
ctæ Inquiſitionis officium hactenus e-
ditas, & impoſterum etiam ſuper
quacunque alia re edendas, omnes
Regulares quomodolibet privilegia-
tos comprehendere; niſi illi in eden-
dis ſpecialiter excipiantur) utique
& Regulares poterunt ab Ordinarijs,
& Inquiſitoribus puniri, ſi in hac ma-
teria delinquant.

Quæres XII. An incurrantur pænæ, si liber imprimendus detur Typographo, supponendo hunc sine approbatione, ac examinatione debita nihil impressurum, interea verò Typographus id munus non obeat? Respondeo non incurri. Quia sicut bona fides excusat à culpa, ita & excusat à pœna censuræ, quæ præsupponit gravem culpam.

Quæres XIII. An idem liber duobus, aut tribus possit dedicari? Respondeo. Vel is, cui liber dedicatus est, donum misit, vel non? si misit, petam cur? An pro uno chartæ folio, an quia potiùs putabat omnia sibi fuisse dedicata volumina? Porrò finis ita actionem specificat, ut illo cessante, cessare cætera videantur. Ergo si ab eo, cui liber dedicatus est catenâ v. g. aureâ donaris, quòd putârit, sibi omnia dedicari volumina, quâ te non donâsset, si unum solum folium, aut exemplar sibi dedicari scivis-

ſciviſſet, involuntarius catenam dedit, poteſt de fraude conqueri, & ad reſtitutionem teneris. Si verò nihil tibi ob librum dedicatum donavit, ceſſat ratio præmiſſa, & ſi aliud non emergat inconveniens, librum poteris ſine conſcientiæ ſcrupulo alteri dicare.

Duodecimò. Idem *Urbanus VIII.* Conſtit. ſua, quæ incipit *Cùm ſicut accepimus*, ſtatuit, quòd Conſtitutiones Apoſtolicæ in concernentibus Fidem Catholicam, & ſanctæ Inquiſitionis Officium hactenus editæ, & deinceps etiam ſuper quacunquæ alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, niſi in edendis illis ſpecialiter excipiantur.

Quæres I. An hæc Bulla afficiat etiam *Generales?* Reſpondeo afficere, ut colligitur ex illis verbis. *Etiamſi ipſi privilegiati forent magis ſpeciali notâ, & expreſſione digni.*

Quæres II. An Bullæ Pontificiæ imposterum edendæ, non solùm spectantes Catholicam Fidem, & Officium sanctæ Inquisitionis, sed etiam concernentis alias materias extraneas, comprehendant Regulares, si de illis nulla fiat mentio in Bullis edendis? Ratio dubitandi desumitur ex illis *Urbani VIII.* verbis. *Edendæ verò imposterum per nos, & Romanos Pontifices Successores nostros, tam in favorem præfatæ Fidei Catholicæ illiusq; propagationis, & sanctæ Officij Inquisitionis, quàm super quacunq; alia re, negotio, seu materia, constitutiones, dispositiones, & ordinationes huiusmodi, similiter omninò comprehendant Regulares, nisi expressè excipiantur, &c.* Respondeo. In Bullis edendis non comprehenduntur Regulares, quando de ipsis nulla fit mentio, est enim certum id ex communi Doctorum, nam Bullæ Pontificiæ spectari possunt quadrupliciter. Primò, quate-

quatenus loquuntur per terminos generaliſſimos diſponentes de materia, cuius omnes homines ſunt capaces, & ſub hac ratione comprehenduntur Laici, Clerici, & Religioſi, maſculi & fœminæ, exemplum ſit in Canone: *Si quis ſuadente diabolo*, cuius terminus *ſi quis*, univerſaliſſimus & generaliſſimus comprehendit ſupradictos omnes, ut patet. II. Prout loquuntur de ſolis Laicis & in his diſpoſitionibus non includuntur Clerici, neque Religioſi, quia iſti nullo modo ſunt Laici. III. Sub Conſtitutionibus loquentibus de Clericis, non veniunt Regulares, ut notum eſt, maxime in odioſis. *Abbas in cap: 1. de Cler: n. 7. in cap: 1. de Inſtitut: n. 3.* Quartò, quatenus Conſtitutiones Pontificiæ loquuntur de Religioſis, & in hoc ſenſu comprehendunt quoſcunque Religioſos cuiuſcunque ſint Religionis quomodolibet privilegiatos, quæ deinceps edentur à ſummis

Pontificibus de quacunque materi[a] tractent, etiamsi non spectent ad Sanctam Fidem, neque de officio Inquisitionis, ut expresse dicitur in ha[c] Bulla per illa verba in ratione dubitandi allata.

Quæres III. An, & quomodo Inquisitores, seu Episcopi possint procedere contra Generales Ordinum. Quoad Religiosos subditos, & alio[s] Superiores minores, nulla est difficultas, tam de jure communi, *cap. Ad abolendum 9. de hæret: cap: U[t] officium 11. Cod: in 6.* quàm ex Bullis modernis: remanet difficulta[s] quoad Generales, qui videntur poss[e] puniri ab Inquisitoribus. Tum quia denuntiandi sunt. Tum quia in ha[c] materia pares sunt cum cæteris Religiosis ex probatis per Bullam *Urbani VIII.* Respondeo. Inquisitores possunt, & debent recipere denuntiationem, ulteriùs tamen procedere contra Generales non possunt, sed ad-

mone-

nonere ſupremum Tribunal, ut de-
.ernat, quid agendum. Ita colligi-
ur *ex cap: Inquiſitores 16. eod: in ſ. ibi. Si tamen Inquiſitores ipſi, Eiſcopos, vel alios Superiores Prælatos ſciverint, vel invenerint circa crimen hæreſeos commiſiſſe, aut eos de hoc diffamatos, exiſtere vel ſuſpectos, id tenebuntur Sedi Apoſtolicæ denuntiare.* Ratio eſt, quia Sedes Apoſtolica non vult ſibi præiudicari reſpectu harum perſonarum, quæ ex vi ſuæ dignitatis immediate ſunt ſubiectæ ſuæ Sedi & auctoritati ſupremæ.

Quæres IV. An Inquiſitores procedere poſſint contra Superiores Regulares impedientes, ne ſui ſubditi denuntient alios Religioſos de hæreſi ſuſpectos? Reſpondeo affirmative, quia delinquunt contra *Officium Sanctæ Inquiſitionis* denuntiationem impedientes, contra id, quod diſponitur in dicta Bulla *Pauli V.* ne ſcilicet Superiores Regulares audeant, &

præsumant impedire illos Religioso qui volunt denuntiare alios Religiosos, ubi contra ipsos impedientes, vel causam denuntiationis perquirentes statuuntur diversæ pœnæ, præsertim excommunicationis latæ sententiæ reservatæ.

Quæres V. An Inquisitores procedere possint contra Superiores Regulares negligentes publicationem suorum Edictorum, & Decreti de lectione viginti unius Bullarum privando, vel eos suspendendo à suis Officijs? Respondeo. Inquisitor recipere potest querelam sibi delatam contra Superiorem negligentem prædictorum Edictorum, & Decreti lectionem, non tamen potest ulteriùs procedere, sed in hoc debet consulere supremum Tribunal. Et ita responsum fuisse refert *Carena par: 2. tit: 17. in fine n. 99.*

DECRETA

Sacræ Congregationis Concilij S. D. N. Urbani VIII. jussu edita.

DE REGULARIBUS

APOSTATIS, & EJECTIS.

Sub pœna privationis omnium Officiorum, vocisq; activæ ac passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, bis in anno legenda, die à Superiore præscribenda.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, Regularium eiectorum, & fugitivorum statui consulere, illorumq; scandala summovere, & succrescentem numerum frangere operæ prætium existimans, auditis Religionum Superioribus, reque diligentissime perpensa, communito etiam consilio cum

S. D. N. Urbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis Suæ facultate, infraſcripta decreta edidit.

Ac primò, ut infecta ſemina, è quibus pravi eiuſmodi fructus potiſſimum prodeunt, deinceps ne ſerantur in vinea Domini, cenſuit eſſe innovandas, & Sanctiſſimi authoritate innovat Conſtitutiones, & Decreta generalia ſan: mem: *Clementis VIII.* ad Regularium reformationem, ac novitiorum receptionem profeſſionem, atque inſtitutionem ſpectantia, diſtricteque præcipit Generalibus, atque alijs omnibus Ordinum Superioribus, ut illa exacte obſervent, atque, ut obſerventur, efficiant, ſub pœnis ſtatutis in ijſdem Conſtitutionibus. A quibus tamen excipiendum cenſuit, caput illud, quo decernitur, ne in Conventibus, ſeu Monaſterijs ad Novitios recipiendos hactenus deſignatis, & approbatis, ſeu impoſterum deſignandis, & approbandis, Novitij ad habi-

abitum ullatenus recipi possint, nisi
riùs à Congregatione Reformationis
Apostolicæ, vel proprijs locorum Or-
dinarijs expresse, & nominatim ap-
probati fuerint. A cuius quidem de-
creti observatione Sacra Congregatio
justis de causis censuit Regulares esse
absolvendos, prout authoritate San-
ctissimi Domini nostri absolvit, atque
eximit.

Deinde, ut apostatãdi opportunitas
Regularibus præripiatur, statuit, ut
de cætero nullus permittatur ad ar-
ctiorem Religionem transire, nisi pri-
ùs Superiori legitime constiterit, eam
Religionem paratam esse illum reci-
pere, qui licentiam petit, tumq; Re-
gularis recta se transferat ad arctio-
rem. Quod, ut re ipsa adimpleatur,
idem Superior omni studio, ac dili-
gentia invigilet.

Rursus statuit, ut fugitivi & Apo-
statæ, sive habitum regularem defe-
rant, sive non, possint, ac debeant

 ab Epi-

ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conijci, ac Superioribus Regularibus consignari, secundùm regularia instituta puniendi, utque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere atque efficere, ut apprehendantur; salva tamen in omnibus facultate Ordinarijs locorum attribúta decreto *Concil. cap. 3. sess. 6.* Quod si Apostatæ huiusmodi citra montes infra quatuor, ultra montes verò infra octo menses à præsentis Decreti publicatione inchoandos, sua sponte ad suam quisque Religionem redierint, tum pœnarum omnium ipsis propter Apostasiam inflictarum, aut infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur. Ita tamen, ut debeant à Superiore absolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab huiusmodi pœnis absol-

oſolvere, & paterna charitate com-
lecti.

Ad hæc, ut imposterum é Religi-
nibus nullus legitime profeſſus ejici
poſſit, niſi ſit verè incorrigibilis; ve-
é autem incorrigibilis minimè cenſe-
tur, niſi non ſolum concurrent ea o-
nnia, quæ ad hoc ex juris communis
diſpoſitione requiruntur, ſublatis hac
n parte Statutis, & Conſtitutioni-
bus cuiuſque Religionis, & Ordinis,
etiam à ſede Apoſtolica approbatis,
& confirmatis: verùm etiam unius
anni ſpatio in jeiunio, & pœnitentia
probetur in carceribus, proindequè
unaquæq; Religio privatos habeat
carceres in qualibet ſaltem Provincia.
Elapſo autem anno ſi nihilominus non
reſipuerit, ſed animo indurato in ſua
pervicacia perſeveraverir, ne contagi-
one peſtifera plurimos perdat, tamquã
pecus morbida, ac membrum putre
ejici tandem poſſit, ſed ab ipſomet
Generali tantùm de conſilio, & aſſen-

ſu ſex

ſu ſex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in ſingulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; tumque non niſi inſtructo, ſecundum eorum ſtylum, & Conſtitutiones, proceſſu, & plenê probatis cauſis expulſionis ad Sacrorum Canonum præſcriptum. Intereá tamen uſque primum generale Capitulum, ſeu Congregationem proximé celebrandam; ſi quempiam ex juſtis & neceſſarijs cauſis expellere oportebit, ejectio fieri poſſit á Generali cum conſilio, & aſſenſu ſex Patrum, ut ſupra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menſes á præſentis Decreti publicatione: ſervata tamen in reliquis forma ſuperius præſcripta. Sic verò ejecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci juriſdictioni, & obedientiæ, ſubſint; proindeque Generalis illico expulſionis ſententiam eidem Ordinario notifica-

tifica-

ficare teneatur. Cæterùm Sacra Congregatio Religionum Superiores eriò admonet, ac per IESU Christi viscera obtestatur, ut, memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrenur animas fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eò magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus in supremo Dei judicio de eorundem Prælatorum manibus sit requisiturus.

Præterea statuit, ut ijdem Superiores nemini ex Religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam reijcientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

Item, ut ejecti extra Religionem degen-

degentes ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum, ſublata Ordinarijs locorum facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi. aut moderandi.

Ac poſtremò eſſe innovandam, & ſuæ Beatitudinis authoritate innovat Conſtitutionem fel: record: *Gregorij IX.* relatam, *in cap. fin: de Regul:* ac propterea declarat, eam Conſtitutionem in ijs quoque vendicare ſibi locum, ſervandumque eſſe, qui juſte diffinitiveque, ac juris ordine ſervato expulſi fuerint, dummodo tamen in expulſis huiuſmodi ſubſit ſpes evidens emendationis ex literis ſaltem teſtimonialibus Ordinarij, cuius conſcientiam in his literis concedendis S. Congregatio ſeriò oneravit.

Ne qua verò difficultas in ſuprascriptis Decretis, & Ordinationibus exequendis ſuboriatur, Sacra Congregatio, Sanctiſſimo Domino noſtro annuente, atque approbante, univerſis Generalibus, Provincialibus, Commiſſa-

iſſarijs , Miniſtris , Præſidentibus , bbatis, Prioribus, Præpoſitis, Guarianis, Vicarijs, & quibuſcunque alijs uperioribus quorumcunque Ordium, vel Congregationum, Monaeriorum, Conventuum, Collegioum, Domorum, ac locorum Regulaum, ubique locorum exiſtentium inungit, ſeriòque mandat, ut illa dilienter obſervent, atque obſervari rocurent in omnibus Cœnobijs, ac Monaſterijs, Collegijs, ac Domibus, uorumcunque Monachorum, ac Reularium ubique locorum exiſtentius, efficiantque, ut tam Decreta ſuradicta fel: recor: *Clementis VIII.* quàm præſentes Ordinationes in ſingulis eiuſmodi locis bis ſaltem in anno legantur in publica menſa.

Si quis verò ipſorum adverſus ea, quæ ſuperiùs præſcripta ſunt, vel eoum aliquid, quoquomodo facere, vel moliri præſumpſerit, ipſo facto pœnam incurrat privationis omnium officio-

rum,

rum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, pœnaq; huiusmodi sit Sanctitati suæ, ac Sedi Apostolicæ reserva ta, ijsdem Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate penitus interdicta, & nihilominus si irritum, & inane quicquid secus, quoquam actum extiterit. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarũ, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum Monasteriorum, Conventuum, Domorum, ac locorum Regulariũ quorumcunque, nec non illorum etiam juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exẽptionibus quoque, indultis, & privilegijs, etiam in

corpo-

corpore juris clausis aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autẽ per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbũ, nihil penitus omisso, & forma in illis

tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus quo ad ea, quæ supradictis quomodolibet adversantur, illis alias in suo robore permansuris, specialiter & expresse Sanctitatis suæ authoritate derogat, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Dat: Romæ die 21. Septembris. 1624.

DUBITATIONES

Ad Hoc Decretum.

QUæres I. In quo consistit incorrigibilitas in Ordine ad expulsionem? Respondeo in tribus, primò, ut ea talis judicetur, qualem disponit jus commune, reiectis statutis Ordinum super ea disponentibus; Secundò, eidem debet addi unus annus carceris; tertiò, demùm perficitur & completur incorrigibilitas ex perseverantia post carcerationem in mala vita, unde finito carceris an-

tis anno non statim eijciendus est, sed expectandus est per aliquod tempus, ut per eius mores appareat emendatio, vel permanentia in suis malis operibus. Hæc duo posteriora satis clara sunt ex ipsis Decretis, primum satis obscurum; ideò videndum modò est, in quo cosistat incorrigibilitas jure communi.

Incorrigibilis jure communi ille dicitur, qui de uno delicto pluries repetito, vel pluribus diversis, & illis gravibus, fuit legitime convictus, & punitus, si postquam fuerit ter monitus, redierit ad vomitum. Colligitur id totum ex *cap: cùm non ab homine 10. de judic:* & de monitione *ex cap: 1. dist: 34. cap: in Canonibus 57. 16. q. 1. cap: Cùm contingat 45. de sentent: excom.*

Dixi primò *jure communi*, quia, Decreta petunt incorrigibilitatem juris communis præcise, & non statu-

torum Ordinis. Et cùm duplex ſ incorrigibilitas, *juris* jam definita & *facti*, cum ſcilicet deeſt aliquid ut quia delinquens non fuit punitus ſed diſſimulatum eius crimen, aut non fuit proceſſus fabricatus. Decretum hoc diſponit tantùm ſuper incorrigibilibus de *jure* non de *facto* talibus.

Dixi ſecundò *requiri pluralitatem delictorum, vel delicti*, quia ex quo incorrigibilitas dicit perſeverantiam & obſtinationem in delicto, vel delictis, per unum, vel alterum non poteſt cognoſci, nec inferri perſeverantia in peccato ſine illius, vel aliorum repetitione. Et præterea cùm trina monitio debeat præcedere incorrigibilitatem, debuit eam præceſſiſſe pluralitas delictorum, non enim ſolet formaliter moneri, qui ſemel peccavit, ſed tantùm corrigi. Et id totum colligitur ex eodem *cap: 10. de judic.*

Dixi

Dixi tertiò, *quòd ea crimina debent eſſe gravia*, quia expulſio eſt graviſſima pœna, ideò ei debet proportionari, & correſpondere grave delictum, qualia ſunt furtum, homicidium, perjurium, ſeu aliud crimen, inquit præfatus textus. Talia crimina ſunt enim crimen læſæ Maieſtatis, Divinæ, & humanæ, balſphemia, falſitas, adulterium, ſtuprum, falſificatio monetæ, latrocinium, falſificatio ſigilli, apoſtaſia, votorum tranſgreſſio, & ſcandaloſa ebrietas, ut habet *Porrel: in Reſponſ: Moral: Tomo 2. caſ: 35.* his enim omnibus graves pœnæ taxatæ ſunt, & ex genere pœnarum cognoſcitur qualitas delictorum. Depoſitio enim, excommunicatio, & anathema, quibus incorrigibiles per dictum textum puniuntur, ſunt pœnæ graviſſimæ, ergo reſpondere eis debent graviora delicta.

Dixi quartò, *incorrigibilitatem ſupponere punitionem delicti*, ut expreſſe

dicitur in eodem textu, & ratio e quia pœna non tantùm ordinatur a punitionem, sed etiam ad emendatio nem. Unde *D. August: lib: 1. Retract. cap: 9.* ait, *pœnam esse culpæ medicinam* si ergo medicina non operatur sed revertitur penitus ad peccatum jam manifestat, se non esse correctum.

Dixi quintò, *necessarium esse, uter sit monitus* super his omnibus, & non resipuerit, de hac monitione habetur *cap: 1. dist: 34. & cap: In cantoribus 57. 16. quæst: 1. cap: constitutionem 9. de sent: excom: in 6.* sed quomodo fit huiusmodi monitio. Estne quid diversum à citatione ad allegandum, & se defendendum, quare non debeatur castigari: quod est etiam quærere, an necessaria sit trina monitio diversa á citationibus, per quam Iudex admoneat Religiosum delictorum patratorum, ut se corrigat, & deinceps abstineat à delictis, aliter,

liter, ſi ſe non emendaverit, eijcie-
ur extra Ordinem? Puto hanc for-
nalem monitionem eſſe neceſſariam,
ıt colligitur ex mox citato *cap:* illis
verbis: *Mandamus ut tales, ſi tertiò*
à te moniti ſe ipſos contempſerint e-
mendare, illius efficiantur immunita-
tis extorres. Sunt ergò formaliter
admonendi, quòd deinceps abſtine-
ant à delictis, & ſe emendent, aliter
eijcientur ab Ordine. Monitio igi-
tur hæc, quæ omninò trina eſſe de-
bet, refertur fuſe ad correctionem, &
emendationem, non autem ad citati-
onem in ordine ad ſententiandum,
ratione cuius non intenditur emen-
datio, ſed punitio.

Dixi ſextò, eum conſtitui incorri-
gibilem, *qui poſt trinam monitionem*
proſequitur delinquere, ex hoc enim
apparet illum non ſe emendâſſe ac
proinde factum eſſe incorrigibilem,
ſicut ergò abſtinentia, & ceſſatio à pec-
catis arguit emendationem, & corre-

 ctionis

ctionis utilitatem, & effectum, ita perseuerantia in peccatis arguit delinquentis pervicatiam, obstinationem & incorrigibilitatem, ut docent omnes.

Quæ verò requirantur, habes in præcitatis Decretis. Ubi tamen adverte, finito anno, carceratum non esse statim expellendum, sed dandam illi libertatem more aliorum Religiosorum, ut per hoc veniri possit in cognitionem, an se emendaverit, necne, quod indicant illa verba, *Anno elapso, si nihilominus non resipuerit, &c.*

Quæres II. Supposito quòd incorrigibilis jam alias fuerit processatus (quia non potest dici incorrigibilis, nisi de criminibus convictus & punitus, quod sine processu non contingit) an hi processus sufficiant ad actualem expulsionem? Respondeo negative, quia ex illis processibus reus non fuit declaratus incorrigibilis, sed tantùm tale & tale delictum commisisse, &

talem

lem ſubijſſe pro illis ſententiam, ideò ovus proceſſus formandus eſt, per uem probanda eſt incorrigibilitas ormaliter in ordine ad carceratio-em annualem præſcriptam in Decre-s, ad quod præſtandum juvant ef-caciter proceſſus antecedenter fabri-ati.

Quæres III. An formato proceſſu itari debeat Religioſus ad defenden-um, quare non debeat declari in cor-igibilis? Reſpondeo. Debet omninò, liter ſententia lata valida non eſt ex 1. *cap: 1. de cauſa: poſſeſſ:* ubi *Gregorius Papa dicit, nec nos contra inauditam partem aliquid poſſumus definire.* 2. Ex *Clement: Paſtoralis de ſentent: & re judic: verſic. Nec prædicta ſuppletio*, ubi dicitur *Imperatorem*, non poſſe *ſupplere citationem: quia eſt de jure naturali, & 2. q. 1. cap. Deus*, ubi dicitur, *Deum noluiſſe punire peccata Sodomorũ*, niſi deſcenderet, & videret nec *Adam* niſi prius eo vocato, & ejus

defensione audita. 3. Quia cita partem, ut se defendat, est de ju naturæ, quod dicat unicuique locu se tuendi concedendum esse. 4. An te sententiam est plene cognoscend culpa, quod effici non potest, nisi pa citetur, & audiatur, an aliquid habe at, quo à culpa purgetur.

Quæres IV. Supposita iusta car ceratione ex formali incorrigibilitat probata, an e carcere fugiens, expel li possit? Respondeo non posse, se in carcerem reducendus est, & annu debet continue, non interpolate per agi, ut respondit Sacra Congregati 13. Novemb: 1632. Patri General *Minimorum* ibi *Fugientes verè è carceribus, etiam pro huiusmodi fugæ delicto esse puniendos, & posse ferreâ custodiâ in carceribus detineri.*

Quæres V. An à Religione ejecti sunt infames? Respondeo sunt. Nam vel *fama* definitur cum Summistis. *Illæsæ dignitatis status, vitâ & moribus*

us comprobatus, & in nullo diminutus.
t tunc infamis meritò dicitur ejetus, quia dignitatem Monachiſmi læt, ab honorato ſuo ſtatu deceſſit per eſſimam vitam, moreſque depravaos. Vel ſi famam definiamus cum 'heologis, quòd ſit *communis & cla a* opinio, & æſtimatio bonæ & inulpatæ vitæ voce manifeſtata, quam le aliquo habent homines. Et tunc nfamiſſimus dicitur ejectus, communis enim omnium ſenſus eiectos julicat ſceleratos & improbos. Præterea, ſicut qui prohibitus eſt à teſtimonio ferendo, vel à teſtamento condendo propter ſua demerita, dicitur infamis, ut demonſtrat *Gellius lib: 6. cap: 7. & lib: 15. c. 13.* Sic Sacerdos privatus ob flagitium jure confeſſiones audiendi, Prædicator prædicandi, Doctor docendi, infamis meritò dicitur.

Quare tanquam talibus nulla eſt adhibenda fides, ſi quid in Religionem effuti-

effutiant, nec multùm curandum d
eorum maledictis; *dementia enîm e*
maxima, ut ait *Seneca Epist: 92. ve*
reri ne infameris ab infamibus; ge
nius namque illorum notus, quia quo
ipsi agunt, aut agere cogitant, id pe
summam impudentiam Ordini affin
gunt, ut ejectionem suam, & flagiti
excusent, ac velent. Et tantùm ab
est, ut eorum maledictis Religioni, &
Fratribus maculam inurant, ut his po
tiùs eam laudare videantur, ait enim
Gregorius in Ezechielem, perversorum
derogatio vitæ nostræ approbatio est
quia jam ostenditur, aliquid justitiæ
nos habere, si illis displicere incipimus
qui non placet DEO.

Nec novum est in mundo, malos
maledictis insequi bonos, incontinens
enim, & impura Domina, sed suarum
passionum serva, puri, & *S. Ioseph*: e-
um incontinentiæ notavit, *Gen: 39.*
superbi, & elati *Hebræi*, humilem *Moy-*
sem, superbiæ redarguerunt *num: 16.*

scele-

elestus *Rapsaces*, sceleribus nutritus, elerum accusabat sincerum *Ezechiã*, c *Alexander* ærarius multa mala o- endit *Paulo* 11. *ad Timoth: 4.* sic *Se- ;ei* maledixit *David 2. Reg: 16.*

Quæres VI. An eiecti, si emenda- humiliter petierint in Religionem erum recipi, admitti debeant? Re- ,ondeo? quód sic. Ita enim expres- habetur in *cap: finali de Regularibus.* t ratio est, quia Religio non habet is á vinculo Religionis aliquem ab- ,lvendi, & ab ea eijciendi, nisi qua- enus id permittunt illius delicta, er- o cessante istâ causâ, & eiecto ad neliorem frugem reducto, & penitus mendato, debet cessare effectus, & lebet cum humiliter, & de corde pu- o petentem iterum recipere. Limi- at tamen *Corduba*, nisi aliud obstet: itpote si sit probabile, scandalum ex ali admissione secuturum, vel si re- leant morbo aliquo contagioso infe- cti: vel alias inhabiles ad Ordinis

officia

officia: vel tandem si ad aliorum te
rorem valde conducat, hos iteru
non admittere; limitat etiam *Less*
us, nisi Religio justas non admitten
di causas haberet, dictas scilicet, v
alias.

Imò potest Religio tales ejecto
cogere ad redeundum. Prob. 1. e
cap. fin. de Reg. ubi statuitur hos eje
ctos debere censuris Ecclesiasticis co
gi redire ad Religionem. Dubi
autem, quæ possunt fieri circa han
decretalem, respondet bene *Sanc*
lib: 6. in Decal: n. 17. 18. & 30. Se
cundò, quia isti eiecti non liberantu
à votorum obligatione, & remanean
veri eiusdem Ordinis Religiosi,
Prælatis Ordini subditi, ut declarav
Joann: 22. ut refert *Festus in summa*
rio constit: Prædicatorum 4. p. cap
25. de gravissima culpa his verbis. *Il*
autem, qui propter culpam suam ex
pellitur ab Ordine, adhuc Prælato sub
ditus est, sicut morbida ovis quamvis

ege expulſa, tamen paſtoris eſt. Ter-ò, quia ob eorum delicta, non de-ent commodum libertatis perpetuæ onſequi, & fieri potioris conditio-s, quam alij Religioſi.

Inſuper prædicti eiecti tenentur in culo exiſtentes vivere morigerate, aptos ſe reddere ad vivendum in eligione, ſi ad eam vocentur â Su-erioribus. Ratio eſt, quia per rofeſſionem, quam emiſerunt, obli-àrunt ſe ad perſeverandum in Reli-ione uſque ad mortem, nec per eie-tionem ſunt ſoluti ab hac obligatio-e, ſed ſeparati ad tempus, donec cor-igantur: ergò quantum eſt ex par-e ipſorum, debent eſſe parati ad im-lendum id, quod promiſerunt, ſed iſi ſe corrigant, non redduntur apti t admittantur, ſed potiùs reſiſtunt, rgo. Deinde, *in cap: fin: de Regul:* nnovato à S. Congregatione Conci-ij præcipitur Prælatis Religionum, ut tales quærant, & ad Religionem

redu-

reducant, quando salvâ Ordinis disciplinâ admitti possunt, unde infertur, nullum ita eijci posse, ut Religio non debeat ipsum admittere, si est correctus, ac proinde tenetur se corrigere, ut adimpleat, quòd in professione promisit.

An verò sic redeuntes admitti debeant in eodem gradu antiquitatis quem habebant ante ejectionem, & cum ijsdem prærogativis, pendet ex varijs legibus Religionum, regulariter tamen dicendum est, quod non. Cùm enim meruerint eijci, digni quoque sunt, ut eiusmodi prærogativis priventur. *Suarez. 4. Tomo de Relig: tract: 8. lib: 3. c. 15. n. 17.*

Quæres VII. Utrùm eiecti tempore, quo manent extra Religionem possint transire ad aliam, sive æqualem, sive laxiorem sine licentia Superiorum suæ Religionis? Respondeo negative. Quia ejecti etiam tempore eiectionis perseverant Religiosi illius

is Ordinis, à quo ſunt eiecti, & illi
biecti, non ergò poſſunt ſine licen-
a Superiorum Ordinis eiuſdem hunc
anſitum facere.

Quæres VIII. An eiecti maneant
eligioſi cum onere trium votorum
ſentialium, ſicut antea? Reſpondeo
firmative: Colligitur hoc ex *cap:*
: de regul. Et ratio ſuadet, cùm
er eiectionem non ſint diſpenſati,
ut abſoluti à profeſſione, quam fece-
int, aliàs ex ſuo delicto commodum
portarent, contra ea, quæ tradun-
ur *cap: 1. de poſt: Prælat:* eſſentque
elioris conditionis, quàm Religioſi
cti Epiſcopi aut Cardinales, qui ma-
ent vere Religioſi. Accedit, eiectũ,
revertatur, non emittere novam
rofeſſionem, non ergò diſpenſatus e-
at in votis profeſſionis.

Unde manent cum eodem voto o-
bedientiæ, quantùm ad hoc, quòd
eneantur obedire Superioribus, ſi eos
velint ad Religionem vocare. Non

tamen ex vi huius voti tenentur subjici Episcopis specialiori modo, quàm alij Clerici, quia votum obedientiæ quod emiserunt, solùm erat obediendi Prælatis Religionum, non alijs. Nec tenentur ex vi eiusdem voti transire ad aliam Religionem. Quia nullo modo illam voverunt, sicut neque Religionem in genere, sed solùm illam determinate, à qua expulsi sunt. Idem in Decreto supponitur, dum dicitur de Superioribus, *ne huiusmodi expulsis literas testimoniales concedant jubentes ingredi aliam Religionem.* Quoad votum paupertatis, ejecti habere non possunt dominium cuiusvi rei, quia hoc est directe contra votum, nec usum irrevocabilem, ob eandem rationem, sed solum usum rerum ad victum, vestitum, &c. necessarium quia hoc non est contra votum paupertatis, nec professi possunt carere his rebus. Quare si illæ à Religione non concedantur, eo ipso datur li-

tur licentia quærendi, & habendi il-
lis. Nec poſſunt *teſtari*, quia hoc
ſupponit dominium rei. Nec facere
magnas expenſas, donationes, &c. ob
eandem rationem. Si quid autem
acquirant, acquirunt Monaſterio, vel
Religioni, unde ſunt expulſi, manent
enim Religioſi, ut alij. Et etiam ſi
iniuſte ſint eiecti, aut detenti extra
Religionem, acquirunt ipſi. Quia
mala voluntas Prælatorum inique ei-
jcientium Religioſos, aut extra Or-
dinem detinentium, non debet in da-
mnum Religionis vergere. Huiuſ-
modi tamen eiectorum bona poſt il-
lorum mortem, ſi extra Religionem
eos mori contigerit, applicari debent
ad *Cameram Apoſtolicam* propter
Conſtitutionem *Gregorij XIII. nu-
mero 43.*

Quæres IV. An eiecti teneantur ad
alias obſervantias Regulares? Reſpon-
deo non tenentur. Ratio eſt, quia
hæc præcepta non ſequuntur perſo-

nam præciſe quaſi ratione ſui, ut fa ciunt vota eſſentialia, ſed in ordin ad ſtatum illum vivendi in commur uniformiter ſub tali diſciplina, erg ab ea communitate juſte remotus amplius non tenetur, cum non ſi deinceps membrum unitum illi cor pori communitatis, cum quo debea ſe conformare in obſervantijs Regularibus. Confirmatur. Quia vot: obedientiæ & paupertatis in multi: relaxantur tunc, & mortificantur, u evidens eſt, ergo à fortiori cæteræ obſervantiæ.

Quæres X. An eiecti promoveri poſſint ad ſuperiores Ordines? Reſpondeo negative. Quia cui vetita eſt functio Ordinis, vetita etiam eſt illius ſuſceptio, cum Ordines ſuſcipiantur, ut exerceantur, iſtis autem prohibita eſt functio cuiuſcunque Ordinis, ut liquet ex Decreto adducto, ergo. Deinde eiecti ſunt irregulares quia infames, ut dictum eſt. Idem

dicen-

dicendum de huiusmodi eiectis, si alias non erant in sacris constituti, scilicet non posse promoveri ad sacros Ordines propter dicta.

Quæres XI. An Religio teneatur præstare alimenta Religiosis legitime eiectis? Respondeo negative. Tum quia ij dimittuntur in punitionem suorum defectuum, Iudex autem non solet alere, quos punit: tum quia injustum videtur, quòd Religio maximos sumptus efficiat in Religiosis alendis, formandis, ac erudiendis in studijs, & postea etiam eos alere teneatur post legitimam expulsionem: Tum denique, quia alioqui, cùm ij dimittantur in pœnam suorum delictorum, commodum reportarent ex delicto fruentes alimentis Religionis, & gaudentes libertate sæculi, ita *Fagund:*

Neque prædicti eiecti audiuntur, si prætendant venire adversus renuntiationem bonorum factam ex causa

ingressus Religionis. Ita enim e *Rotæ* quadam decisione refert *Novarius*. Et certe cùm prædicta acquisita sint Religioni, non debet illis privari ex ea causa, præsertim quò alias ex suo delicto commodum maximum reportarent eiecti, & idcirco etiam plures eiectionem procurarent.

Quæres XII. Quomodo eiecti teneantur incedere? Respondeo. In habitu Clericali, ita enim in *Decret* habetur. Quare non tenentur portare habitum Religionis, imò non debent, nam hoc cederet in dedecus Religionis, nihilominus casu dato, quod Religio eos eijciens ob aliquam rationabilem causam, ipsos habitu non privaret, tenentur ad illum portandum, cum vere Religiosi sint, & aliàs possint extra Religionem vivere cum habitu, quemadmodum Episcopi e Religionibus assumpti, extra

illas

las vivunt cum Religionis habitu.

Quæres XIII. An Generalis poſſit elegare facultatem eijciendi á Reli-ione Provincialibus pro eorum Pro-incijs, ſeu Commiſſarijs, vel Vicarijs Generalibus? Item, an ſex Patres, le quorum conſilio & aſſenſu eiectio ieri debet, ſint eligendi de tota Re-igione, an ſufficiat ex qualibet Pro-vincia, ſeu Regno; præterea, ſi à Re-ligione huiuſmodi ſex Patres non fu-erunt electi in Capitulo Generali, quid faciendum uſque ad primum Capitu-lum Generale? Demum, an Genera-lis poſſit ferre ſententiam eiectionis, ſi maior pars ſex illorum Patrum di-ctam ſententiam approbet, non ve-rò omnes ſex. Reſpondeo ad pri-mum negative. Ad ſecundum ſuf-ficere ex qualibet Provincia, ſeu Re-gno. Ad tertium, recurrendum ad Sacram Congregationem in ſingulis caſibus. Ad quartum, votum ma-

ioris partis sufficere. Ita Anno 165 Sacra Congregatio *Concilij Tridentini Interpretum* respondit ad instantiam Procuratoris Generalis Ordinis *B. Mariæ de mercede redemptionis captivorum.* Potest tamen Generalis formare processum sine Patribus deputatis. Nam Patres illi adhibendi solùm sunt ad ejectionem, quæ est quid diversum à fabricatione processûs.

Quæres XIV. Quis dicatur propriè & rigorosè Apostata? Respondeo Essentialis ratio apostasiæ consistit in hoc, quòd quis recedat à Religione animo deserendi illam, unde qui hunc animum non habuerit, non erit proprie Apostata, sed fugitivus. Ita Doctores, nota tamen primo, licet e Religione hoc animo recedens non relinquat habitum, nec habeat animum illum relinquendi, adhuc erit vere Apostata: Sicut enim *habitus non facit Monachum, cap: Porrectum est.* Sic retentio habitûs non

tollet

ollet esse Apostatam eum, qui à Religione modo dicto recedit. Idem colligitur ex Decretis *Clementis VIII. de casuum reservat: pro Regul.* ubi inter casus reservabiles à Regularibus ponit Apostasiam à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, ubi manifeste supponitur posse esse Apostasiam etiam habitu retento. Nota secundò. Quamvis ad veram Apostasiam requiratur animus non revertendi ad Religionem, nihilominus in foro externo id extenditur etiam ad eum, qui recedit à Religione animo non revertendi ad illam, nisi post longum tempus, prout colligitur ex textu *in paragr: Pavonum, instit: de rer: divis.*

Quæres XV. An Monasterium teneatur solvere debita contracta à Religiosò Apostata, vel fugitivo? Respondeo negative. Nisi in casu, quo rediens ad Religionem secum adduxerit aliqua bona, ex quibus possent

ſolvi talia debita. Ratio utriuſque partis eſt, quia ſicut ratio naturalis dictat, quòd qui ſentit commodum, debeat etiam ſentire onus juxta *regul. Iuris in 6.* ſic etiam, quòd, qui nullum commodum ſentit, nec ſentiat damnum.

Quæres XVI. An Religio teneatur præſtare alimenta Religioſis Apoſtatis aut fugitivis, ſaltem quando ratione morbi aut ſenectutis non poſſunt ea ſibi comparare aliunde? Reſpondeo non teneri. Tum quia frangenti fidem, frangenda eſt, ideoque cùm Apoſtata, vel fugitivus fregerit fidem, quà Religioni obedientiam, & obſequium promiſerat, par eſt, ut & ipſa Religio non ſervet ei fidem datam de præſtandis alimentis. Tum quia eatenus Religio tenetur alere Religioſum, quatenus iſte illi inſervit, hæc autem ratio ceſſat in caſu noſtro, ut patet.

Verum attamen eſt, quod ſi Religi-

osus Apostata, aut fugitivus, ab aliquo capiatur, revocandus ad Monasterium, aut ipsemet pœnitentiâ ductus redeat, tunc Religio tenetur de expensis, & alimentis, cùm in priori casu alter ex tunc utiliter gerat negotium Religionis, faciens id, quod ipsa tenebatur efficere: in posteriori verò ipse Religiosus Apostata, aut fugitivus prævenit obligationem Religionis, quæ tenebatur eum revocare. Ita *Sanchez*, addens potiori jure Religionem teneri ad alimenta, ac expensas Monachi fugitivi licitè fugientis, & ex justa causâ, v. g. ad se præsentandum Superiori, siquidem Monasterium tenetur dare Monacho expensas necessarias ad litem, & justa *cap. Ex parte de accusat.* debentur alimenta Monacho accusanti Abbatem, de quo vide *Sylv. verb. Apostata q. 10.*

Quæres XVII. An Religiosus fugiens ad Prælatum Superiorem, eò quòd certò illi constet se gravari injuste

justé nimis á Prælato immediato, vel quòd velit illum gravare notabiliter, sit Apostata? Respondeo negativé. Quia non deserit Religionem, cùm potiùs pergat ad suum Prælatum superiorem imò licité id facere potest, cùm jure naturali defensionis utatur. Nec Concilio *Tridentino* contradicit, quia hoc solum loquitur in casu quo Religiosi non injusté nimis gravantur á Prælatis suis.

Qui autem fugiunt ad Superiorem Prælatum, vel sine fundamento, vel non nimis, sed tantum leviter ab inferiori Prælato gravati, vel si graviter gravati, ad faciendum quærelam contra ipsum, cùm tamen commodé eam facere possent vel per literas, vel alio tempore, licet non sint veri Apostatæ propter dicta, contraveniunt tamen Decreto Concilij *Tridentini* relato, & velut vagi & profugi puniri debent juxta statuta suarum Religionum.

Quæres

Quæres XVIII. An Episcopus re-
ularis renuntians Episcopatui, vel
epositus, si non revertatur ad Reli-
ionem, sit Apostata? Respondeo af-
irmativé, Nam non est exemptus á
Religione ratione Episcopatus, sed
atione vinculi matrimonialis, quod
contraxit cum sua Ecclesia, â quo vin-
culo cùm jam sit liberatus, tenetur
ad propriam Religionem redire.

Quæres XIX. Cui acquirat Reli-
giosus Apostata, vel fugitivus? Re-
spondeo. Acquirit suæ Religioni.
Tum quia ita definitur in cap: *Abbas 18. q. 2.* Tum quia isti sunt veri
Religiosi, ac per consequens debent
Monasterio acquirere, si autem mo-
ritur in Apostasia, vel fuga bona, quæ
illi supersunt, pertinent ad Cameram
Apostolicam propter Constitutionem
Gregorij XIII. quæ incipit *Officij no-
stri.*

Quæres XX. An suscipiens Ordi-
nes in Apostasia sit irregularis? Re-
spondeo

ſpondeo eſt. Quia cum Apoſtata ſit ipſo facto excommunicatus, ut late probat *Caſarubius in Compendio privileg: Mendic: verbo Apoſtata ab Ordine, & Sanchez lib: 6. in Decal: c. 8. n. 20.* Neceſſe eſt, quòd dicamus Ordines recipientem, eſſe irregularem, cùm excommunicatus Ordines recipiens ſit irregularis, *cap: Cùm illorũ de ſentent: excom: parag: ſi autem hos.* ſunt etiam infames ex *cap: Alieni 2. q. 7. & cap: Infames: 6. q. 1.* Patetq; ex ijs, quæ attulimus ſupra, dum eiectos eſſe infames diceremus. Exercentes etiam Ordines ſacros, fiunt irregulares, tales enim ſunt, qui exercent Ordines ſacros cum aliqua cenſura. Neque decet ſtatim ſuper his cum illis diſpenſari, eſto redeant ad Religionem, ne qui hodie in circo ſaltat, mane in Altari miniſtret, ut loquitur jus Canonicum.

Quæres XXI. Quid ſentiendum de cooperantibus ad fugam, vel apo-

tasiam? Respondeo. Hi non solùm peccant graviter, eò quòd cooperantur ad rem intrinsece malam & sacrilegam, sed etiam tenentur restituere ea lucra temporalia, quæ Religio amisit propter fugam talis Religiosi. Ratio est, quia tunc fit grave nocumentum Religioni contra eius voluntatem, ergo peccatur contra justitiam, ac per consequens est obligatio restituendi damnum. Non tamen tenentur Religionem ingredi pro illis, quos apostatare faciunt, aut alios quærere, qui pro illis Religionem ingrediantur. Ingressus namq; Religionis voluntarius esse debet.

Quæres XXII. Quid dicendum de detinentibus in suis domibus Fratres Apostatas, occultantibus, ipsisq; favorem impendentibus? Respondeo. Eos esse ipsò factò excommunicatos, propter multa Privilegia Religionibus concessa, de quibus *Casarubius in Compend: Privileg: Verbo Apostata*

ab Or-

ab Ordine. Episcopi tamen retinentes Apostatas non possunt à Prælatis Ordinis excommunicari, de quo vide Concilium *Tridentinum*, *sess.* 24. *cap.* 5.

Quæres XXIII An Apostata sit ipso jure & facto excommunicatus, si habitum retineat? Respondeo affirmative. Nam in *cap: ut periculosa*, ideò fertur excommunicatio in eos qui temere suæ Religionis habitum dimittũt, ut periculosa Religiosis evagãdi subtrahatur occasio, ergò sive habitu indutus, sive eo exutus Religiosus â Religione defecerit, ut libere evagetur, in excommunicationem incurret, ut bene *Azor.* Nam tam periculosa est vagatio cum habitu, quàm sine illo, imò magis periculosa & scandalosa, quia cum habitu nocet sibi & Religioni, eam suis malis actibus infamando, sine illo autem non nocet nisi sibi ipsi, cùm non cognoscatur ab omnibus.

Quæres

Quæres XXIV. Apoſtatæ, & fugi-ivi an poſſint ubique, etiam extra erritorum apprehendi à Superiore uo, incarcerari, & duci ad Monaſte-ium? Reſpondeo poſſe. Qui enim lebent alijs perpetuam obedientiam, oſſunt de manibus quorumcunque capi. Et ita ſtatuitur in *cap: final: de Regular:* ijs verbis. *Si verò hu-juſmodi fugitivos inobedientes invene-rint, eos excommunicent, & tamdiu faciant ab Eccleſiarum Prælatis excom-municatos publicè nuntiari, donec ad mandatum ipſorum humiliter rever-tantur.* Quæ omnia innovantur in Decreto.

Quæres XXV. An Religioſus in pœnam alicuius delicti à ſuo Superi-ore detentus in carcere poſſit licite ex illo fugere? Reſpondeo non poſſe. Tum quia tenetur obedire Prælato quoad pœnas juſte inflictas. Tum quia non poteſt ſe abſtrahere à jugo & obedientia ſuorum Superiorum.

Prædicta intellige etiam de carcere perpetuo, cùm ad illum plerique Religiosi, se obligaverint ex vi professionis, quando crimen proportionatū perpetraverint.

Quæres XXVI. An possit Religiosus vivere extra Monasterium retento habitu? Respondeo. Posse cum facultate, quia nec hoc est intrinsece malum, nec derogat votis Professionis, cùm etiam ibi possit observari, Obedientia, Paupertas, & Castitas. Hoc de jure communi accipiendum est, nam jure novo *Clementis VIII.* in *Decreto* sequenti afferendo, sic habetur. *Degentes extra Conventûs claustra, ad ea quamprimum revocentur, nec de cætero, nisi ex gravissima causa à Sede Apostolica probanda hujusmodi facultates concedi possint.* Ubi nota pro servitio Principum sæcularium, sacramCongregationem non velle hoc admittere, unde Anno 1644. jussit, ut existentes extra claustra hoc titulo ad ea revocarentur. Quæ-

Quæres XXVII. Religioſus extra
lauſtra delinquens quomodo puni-
ndus ſit? Reſpondeo. Præſcribitur
nodus in *Trident: ſeſſ: 25. cap: 14.*
ſcilicet *Regularis non ſubditus Epiſco-*
po, qui intra Clauſtra Monaſterij de-
git & extra ea ita notoriè deliquerit,
ut populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtan-
te, à ſuo Superiore infra tempus ab E-
piſcopo præfigendum ſevere puniatur, &
delinquens, ab Epiſcopo puniri poſſit.
Circa quod adverte, ut Epiſcopus te-
neatur inſtare apud Prælatum ut pu-
niat Religioſum, debere delictum hu-
jus eſſe notorium & ſcandaloſum po-
pulo, ſic enim habet *Concilium*, nec
ſufficit, quòd tale delictum ſit notum
alicui, vel aliquibus paucis.

Quæres XXVIII. An ſit Apoſta-
ta Religioſus reclamans contra pro-
priam Profeſſionem, cùm tamen ſciat
illam eſſe validam? Reſpondeo. Eſſe.
Utpote qui á propria Religione re-
cedit, animo amplius non redeundi

ad illam, & quidem ſine licentia proprij Prælati; cùm licentia ab eo obtenta fuerit extorta doloſe & fraudulenter, ideoque perinde ſe habet, ac ſi non eſſet obtenta.

Quæres XXIX. An Religioſus tranſiens abſque legitima facultate Superioris ad aliam Religionem, ſive arctiorem, ſive laxiorem, ſive æqualem ſit Apoſtata? Reſpondeo negative. Quia Apoſtaſia, teſte *Suarez: Tomo 4. de Relig: Tract: 8. lib: 8. c. 10. n: 10.* ſecundum communem Doctorum ſententiam eſt proprie retroceſſio à ſtatu Religioſo, in noſtro autem caſu non retroceditur à ſtatu Religioſo ſimpliciter ſed ſolùm à tali ſtatu Religioſo, ergò &c. ſic tamen tranſeuntes, non unam pœnam incurrunt, de quo vide *Tridentinum ſeſſ: 14. cap: 11. de Reformatione, & Peyrinis de Relig: ſubd: q. 1. c. 24. Lezanam Tomo 1. c. 22. n. 24.*

DECRE-

DECRETA CLEMENTIS VIII. DE REFORMATIONE REGULARIUM

Sub pœna privationis omnium Officiorum, vocisq; activæ & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, bis in Anno legenda, diebus a Superiore designãdis.

NUllus omninò prætextu cuiuscunque privilegij vel superioritatis, etiam Generalatûs, à servitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprij Officij munere actu fuerit occupatus: Cùm Lectoribus autem & Prædicatoribus, Superiores ijs tantum diebus, quibus eos legere aut prædicare contigerit, dispensare possint. Idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitime impeditis. In eos verò qui negligentes, aut

tes, aut inobedientes fuerint, ſalutari pœnitentia Superiores animadvertant, ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum, alimenti etiam ſi opus fuerit ſubtractione.

Lectio ſacræ Scripturæ, vel caſuum conſcientiæ bis in hebdomada, præſcriptis diebus, in ſingulis Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant, eâque abſolutâ, mutua collatione circa explicatam doctrinam ſeſe utiliter exerceant.

Quò *Tridentini Concilij* Decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fideliùs obſerventur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſinas, ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut pro Miſſis, tam in propria Eccleſia, quàm ubicunque celebrandis, aliòve ipſorum juſto labore & cauſa, & quocunque nomina acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguine-

rum, aut piorum largitiones, lega-
a, aut donationes fuerint, tanquam
propria, aut etiam nomine Conven-
tûs possidere possit, sed ea omnia sta-
tim Superiori tradantur, & Conven-
tui incorporentur, atque cum cæteris
illius bonis, reditibus, pecunijs ac
proventibus confundantur, quo com-
munis inde victus, & vestitus omni-
bus suppeditari possit. Neque Supe-
rioribus, quicunque illi sint, ullo pa-
cto liceat eisdem Fratribus, aut eo-
rum alicui, bona stabilia, etiam ad
usumfructum, vel usum, administra-
tionem, aut commendam etiam de-
positi, aut custodiæ nomine concede-
re. Eorum verò, quæ ad necessita-
tem concessa erunt, nullus quicquam
possideat ut proprium, neque ut pro-
prio utatur. Qui in præmissorum a-
liquo deliquerit, pœnas nedum â *Con-
cio Trident*: præscriptas, sed aliâs quo-
que multò graviores, Superiorum ar-
bitrio imponendas incurrat.

 Nulla

Nulla quorumcunque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excuſare poſſit, quo minus culpæ, & pœnæ ab eiuſdem Concilij Decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxij ſint, etiamſi Superiores aſſererent huiuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.

Fratrum veſtitus, & ſuppellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omninò uniformis ſit Fratrum, & quorumcunque Superiorum, ſtatuique paupertatis, quâm profeſſi ſunt, conveniat: ita ut nihil ſuperflui admittatur; nihil etiam, quod ſit neceſſarium, alicui denegetur.

Quæcunque Fratrum veſtes, ſive laneæ ſive lineæ, omniſque alia ſuppellex in aliquem cõmodum Conventus locum deferantur, ibique ab uno, vel duobus Fratribus huic muneri depu-

deputatis diligenter cuſtodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, ſubminiſtrari opportune poſſint.

Omnes etiam Superiores, quicunque illi ſint, eodem pane, eodem vino, eodemque obſonio, ſive eadem (ut aiunt) pitantia, in communi menſa prima vel ſecunda, niſi infirmitatis cauſa impediti fuerint, veſcantur, neque ſingulare aliquid, quo privatim quiſque in cibum utatur, ullo modo afferri poſſit, ſi quis in ea re peccaverit nihil ea die alimenti percipiat, niſi panem, & aquam.

Superiores omnes, etiam Generalis, qui reditus, aut præſtationes peculiares ratione officiorum habet, eorum accepta, & expenſa in libro diſtincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios uſus, quàm ratione Officij ſui neceſſarios, quicquam expendant. Cùm verò contigerit ipſos in aliquo Conventu commorari,

eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua sibi & ijs, qui secum erunt, victus ad præscriptum Regulæ, & constitutionũ suppeditetur.

Nullus ex Superioribus locorum administrationem bonorum, aut aliarum rerum dispensationemque pecuniarum, & redituum sui Conventus per se ipsum habere, sive exercere possit; sed universum id onus tribus Fratribus ejusdem Conventùs á Generali ita demandetur, ut unus rerum & bonorum, redituumq; colligendorum, ac exigendorum curam habeat; alter tanquam Depositarius, pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asservet: alius de pecunijs, & rebus à Depositario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Conventui universo de necessarijs, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed juxta charitatis regulam, veluti bonus Dispensator provideat, officiorũ hujusmodi confusione penitus interdicta. Cæ-

Cæterum hi tres tam impensi quàm ccepti singulis mensibus Superiori ocali, adhibitis etiam duobus vel ibus Fratribus ejusdem Conventus robatioribus, rerumque usu peritis, ationem reddent: Deinde ipsimet ursus, præsentibus Priore, & peritis rædictis, Generali, cum advenerit: lenique ipse Generalis, in quolibet roximo Capitulo saltem coram tri- us judicibus ab ipso Capitulo ad hoc onstitutis ' illorum omnium, uni- versamque suæ administrationis tam publicæ, quàm privatæ rationem red- dere teneatur, cujus etiam exemplũ authenticum ex actis Capituli descri- batur, ad hoc, ut ad omne manda- tum nostrum, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.

In quocunque Conventu, Fratrum is tantum deinceps constituatur, & imposterum retineatur numerus, qui ex reditibus illjus proprijs, vel ex communibus consuetis, vel etiam sin- gulo-

gulorum eleemoſynis, alijſq; quibu cunque obvenientibus in commun (ut præfertur conferendis) commod poſſit ſuſtentari; reditus verò & ſi pradicta omnia in communi loco, tuto diligenter aſſerventur.

13 Superioribus autem, ne Concil Tridentini, aut hæc noſtra Decre declarare, interpretari, aut relaxa ullo modo poſſint, omnino interdic mus, & prohibemus, decernentes i ritum &c. Si quis autem cõtra præ ſumpſerit attentare, is eo ipſo omn gradu, officioque privatus, & ad e perpetuò inhabilis exiſtat.

Nullus niſi actu legat, vel prædice aliquo ſui gradus privilegio gaudea

Si alicui ex neceſſaria cauſa, Ge neralis judicio probanda, ſocius e eodem ordine, qui illi miniſtret con cedendus erit, is niſi vigeſimũ quin tum agat annum, & qui commun ſervitio ſit deputatus, non conceda tur, & ſi commode fieri poteſt ſit la icus converſus. Ut

Ut omnis ſcandalorum, & vagatio- occaſio tollatur. Convētus clau- a perpetuò, ac diligenter ſervetur, propterea à Superiore janitor con- tuatur, qui diligentiâ, ac morum tegritate maxime commendetur, is nuæ cuſtodiendæ ſemper aſſiſtat, mq; nemini Fratrum aperiat, niſi cium, & exeundi licentiam obti- uerit.

Nullus à Conventu egredi audeat, iſi ex cauſa, & cum Socio, licentiaq; ngulis vicibus impetrata, ac bene- lictione accepta à Superiore, qui non liter eam concedat, niſi cauſa pro- bata, ſociumq; exituro adjungat; non petentis rogatu: ſed arbitrio ſuo, neq; eundem ſæpiùs. Licentiæ verò ge- nerales exeundi, nulli omninò con- cedantur.

Contravenientes autem pœna gravi etiam carceris ad Superioris arbitri- um plectantur eandem etiam janitor ſubeat, ſi ſciens exeundi facultatem fecerit.

Cùm autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit benedictionem recepturus, qui à Socio itineris rationem, & quid rei actum ſit diligenter requirat.

Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, niſi priùs à Generali, vel Protectore dumtaxat licētiam in ſcriptis impetraverint.

Si quis autē ſine hujuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce activa, & paſſiva biennio privatus exiſtat, ſubiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas, Quæ item omnia adverſus eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint, ſine ulla exceptione locum habeant.

Habeat Superior clavem ita fabrefactam, ut cùm ſibi videbitur, cellas omnes reſerare poſſit, & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin ſemper à Superiore poſſit aperiri.

In medio dormitorij totam noctem lampas colluceat. Nul-

Nullus etiam Superior cellas ſive
clauſtro, ſive alibi ſeparatas à cō-
uni dormitorio habeat, ſed unuſ-
uiſque unica cella, eadem cum cæ-
eris aliorum fratrum coniuncta, nu-
is omnino parietibus, ac lecto, &
nenſa humilibus, uniformique ſupel-
ectili (ut præfertur) quemadmo-
dum Religioſos decet contentus ſit:
poſſit tamen Generalis alicui ex Supe-
rioribus Conventuum, ſi eorum mu-
neris, & officij neceſſitatem id exige-
re cognouerit; alteram etiam cellam
concedere.

Cellæ, ſive ædiculæ, quæ extra dor-
mitorium ſeparatim ſunt, ad officinas,
aut aliàs ad communem uſum & com-
moditatem Conventus redigantur.

Sigillatim ſuo quiſque lecto cubet,
neque ulibi duo eodem lecto dormi-
re poſſint, qui omnes ad certam for-
mam redigendi erunt.

In privatis cellis nulli camini per-
mittantur: ſed omnes obſtruantur ſta-
tim,

tim, cardinibus etiam e parietibu convulſis, ut res illa non ad tempu facta ſed ad perpetuò duratura vide atur, cellis tamen Generalis, aut al teriùs Snperioris, ac Prædicatoris ex ceptis.

Conventus feneſtræ omnes, qua in vias publicas, aut in vicinas lai corum ædes proſpiciunt, muro it obſtruantur, ut omnino is proſpectu impediatur.

Valetudinarium in ſingulis Conventibus certo, ac ſalubriori loco cō ſtituatur, quod pro loci ſitu, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit commodiſſimum eſſe poſſit, in quo Fratres omnes, cum ægrotabunt curentur, nec inde niſi recuperata ſanitate abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpoſiti ſunt, omni ſedulitate, ac charitate operam ſuam præſtabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omnino deſit, quod ad ſanitatem recuperandam pertineat.

Inea-

Ineatur ratio, qua ſublatis licentijs, aut facultatibus hactenus quibuſcunque conceſſis, degentes extra Conventus clauſtra, ad ea quamprimum revocentur, nec de cætero, niſi ex graviſſima cauſa à Sede Apoſtolica probanda, huiuſmodi facultates concedi poſſint.

Nulli impoſterum ad habitum, aut profeſſionem admittantur, niſi in Conventibus per Sedem Apoſtolicam in qualibet Provincia deputandis.

Curent Superiores, ut Cõſtitutio interdicens largitiones munerum, & præſcribens hoſpitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter obſervetur.

Ut omnis officiorum ambitus occaſio præcludatur, caveant omnes à directa, vel indirecta vocum, ſeu ſuffragiorum procuratione, tam pro ſe ipſis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris, præſertim Generalibus Capitulis aut Congrega-

tionibus, seu alibi. Quicunq; secus fecerit, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate culparum graviùs etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes: & non revelantes extendimus.

3 In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta à Sacro Conc: Trid: & Ordinis constitutionibus inviolabiliter servetur, juventque Electores secundùm veritatem cuiusque conscientiæ, probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deveniatur, in primis, & ante omnia

præle-

prælegantur constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipue eligantur, qui possint, & consueverint regulas Ordinis & Constitutiones observare, præsertim quæ pertinent ad servitium chori, ac vestitum, & victum communem.

Eligantur in Capitulo Generali vel Provinciali aliquot graves, & periti ex Fratribus cuiuslibet Provinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinet, priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curæ sit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quàm quoad mores promovendos ad quoscunque Ordines, in quo servetur Decretum Congregationis Interpretum Sacri Concilij Tri-

dentini, hac de causa nuper editum & promulgatum.

Illud porro Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis quam in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio invigilent, ut quæ in eorundem Ordinum Regulis, & constitutionibus de oratione mentali, silentio, jeiunijs, Capitulo culparum, alijsque spiritualibus exercitijs prudenter, ac pie sancita sunt, ea omnia, & singula ad unguem observentur, intelligantque super his veluti fundamẽtis omnium Religionum ædificia construenda, & amplianda esse quæ ut faciliorem exitum sortiantur, & fructus uberiores in animis Fratrũ producant, valde opportunum erit, si in quolibet Conventu, singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosa disciplina, regularique observantia.

Quo verò omnia ordinate peragantur,

tur, appendatur tabella in loco conspicuo uniuscujusque Conventus, in qua distincte adnotetur quid singulis horis cuiusque diei quilibet Frater præstare debeat, ut certo quoque signo præmonitus, maiore animi præparatione suo muneri satisfacere possit. Quæ Ordinis Constitutiones, his Decretis non adversantur, inviolate custodiendæ erunt.

Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præscripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Ut autem hæc Decreta (donec alia quæ pleniorem reformationem facient, edantur) ab omnibus observari possint, districte præcipimus Generalibus, ac omnibus alijs quibuscunque Superioribus, ad quos hoc spectat, ut curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorundem Ordinum constitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta omnino eorum singulis facultate illas decla-

declarandi, & adversus eas unqua
dispensandi. Alioquin sciant se i
pœnam, Generalatus, & officioru
privationis, ac inhabilitatis perpetu
ad alia quoque munera ipso facto, &
sine ulla exceptione respective inc
disse.

Ne verò prætextu dilatæ publica
tionis eorum observatio, quoquomo
do differri possit, aut impediri, volu
mus, ut post illorum publicationem
in Conventu, vel Monasterio cuius
libet Otdinis de Urbe factam, Gene
ralem, aliosque Ordinum Superiores
cæterosque quoscunque Fratres præ
sentes, statim, reliquos verò absente
citra montes, unius mensis, ultra mon
tes, trium mensium spatio inarctent
ac si eorum singulis personaliter in
timata fuissent.

Insuper mandamus, quòd Genera
les in singulis Conventibus citra mon
tes, unius mensis, ultra verò montes
trium mensium cursu, Decreta supra-
dicta

dicta publicari faciant, ſub pœna privationis Generalatus, alijſque arbitrio noſtro imponendis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 25. Menſis Iunij. 1599.

DEcretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & protectoris licentia duntaxat permiſſum eſt, Sanctitas Sua extendit ad Provincialem, decrevit, ita ut Provincialis ipſe ex cauſa communi totius provinciæ duntaxat facultatem huiuſmodi facere valeat, declaravitq́; pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ contrafacientibus inflictam Sanctitati Suæ reſervatam eſſe, interdicta omnino eorum Superioribus ſingulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi,

Datum Romæ die 20. Martij,

Anno 1601.

DUBITATIONES
AD HOC DECRETUM.

DEcretum hoc media illa, rationesque vivendi præscribit quibus verum disciplinæ Regularis, Religiosæq; perfectionis tramitem assequamur. Multa ibi dilucida sunt, & ideo specialibus quæstionibus non pertractanda. Cætera hîc resolvere studebimus.

Primò igitur statuit, ne Religiosi non urgentibus causis in Decreto enumeratis, super alios extolli cupientes, immunitates, exemptiones, privilegia, in Religionibus quærant. Et vero hæc observantiæ Regulari obstant, magnaque parte illam evertunt. Audiatur *D. Bonaventura* qui in *pharetra* sua sic inquit: *Si peculiaritas à Monachis habeatur, nec concordia, nec charitas in Congregatione eadem poterit permanere. Rationem sic subjungit. Quia qui post te ad Ordinem*

eniunt, non attendunt quid ante eos
boraveris, sed solùm accipiunt, quale
s exemplum præferas in præsenti, in
boribus vigilis, cibis, in alÿs obser-
antÿs Ordinis, in quibus vellent sibi
eniores suos præire: alioquin aut scan-
alizantur de ipsis, aut imitari eos in-
ipiunt. Iungatur *Bonaventuræ S. I-*
natius, sæculi nostri decus, & *Socie-*
atis IESU universo in Orbe celeber-
imæ Antesignanus, qui ferventi Zelo
observantiæ regularis vigere suos cu-
piens, inter cætera quæ illis commen-
data reliquit, illud non posterum est,
ut penitus singularitates, privilegiaq;
in Religione abijciant. Unde ingre-
dientem *Societatem* interrogari præ-
cipit. *An contentus fuerit eodem at-*
que alÿ modo in Collegio agere, nullisq;
privilegÿs aut prærogativis minimum
omniũ, qui in eo fuerint, anteire. Ad-
stipulantur Sancti Patres alij, quos
longa serie invenies apud *Lezanam*
Tomo 1. cap: 12.

Hæc tamen nolim accipi de ijs, qui juxta instituti sui leges, similia privilegia adepti sunt, scio etenim plures, quorum vita exemplaris, modesta & humilis, suadet illorum immunitates non obesse, sed prodesse Religionibus, illas namque non ad commoditatem propriam, non ad honorem proprium, sed ad Religionum suarum authoritatem, suæque familiæ decorem, quæritant. Solùm igitur ij tanguntur, qui nullis omninò meritis, sed nescio quo prætextu ad exemptiones, & immunitates aspirant, qui ut extollantur, promoveri se procurant ad laureas, esto literaturâ vix aliquâ sint præditi, & fortassis de quibus illud emanavit adagium. *Maneat ejus argentum apud nos, asinusq; laureatus revertatur in patriam.*

Quæres I. Illud *actu legere, vel prædicare*, an trahi possit ad casus similes, videlicet, libros edere, casus conscientiæ resolvere &c. Respon-

deo

eo poteſt, quia dictio taxat in Decretis, non excludit caſus ſimiles, el urgentiores, maxime cùm intentum Pontificis in illo Decreto videatur eſſe, quòd Magiſtri & graduati Religionum, exerceantur ſemper in liquo literario exercitio, ſi volunt uti graduum ſuorum privilegijs.

Quæres II. An Lectores dicantur actu legere tēpore vacationum? Reſpondet *Peyrinis Tomo 1. ad ſecundā Iulÿ 2.* Conſtitutionem, quòd ſic & bene. Quia tunc ſtudent, ut legant, & nunquam minùs vacant, quâm cùm vacant, qui Officij debito ſatisfacere volunt.

Venio jam ad ſanctam & Religioſam Paupertatem, de quâ in eodem Decreto copioſe diſſeritur. Circa quā.

Quæres I. An poſſint Religioſi habere dominium ſeu proprietatem jurium, aut bonorū ſpiritualium? Reſpondeo poſſe. Quia per votum paupertatis non renuntiant bonis, aut

juribus

juribus spiritualibus, sed solùm bon[is] temporalibus. *S. Thom. 2. 2. quæst. 18[6] art. 7. ad 4. Lessius de justit. lib* [. *cap. 4.* Imò etiam quarundam reru[m] quæ non sunt pretio æstimabiles, v[.] g. paucarum reliquiarum, *Agnus De[i]* *&c.* Quia per votum paupertatis so[-] lùm abdicàrunt à se dominium rerun[m] pecunia, aut pretio æstimabilium Ita colligo ex *Sancto Thom.* ubi supra Hinc si habeant, vel accipiant, jur[a] aliqua Ecclesiastica, v. g. facultaten[m] excommunicandi, absolvēdi, dispen-sandi, &c. sine licentia, non erun[t] proprietarij, propter eandem ratio-nem. *Navar. comm. 2. de Regul. San-chez. lib. 7. in Dec-log. cap. 19. n. 58.*

Quæres II An Religiosus dicens aliquid esse *suum* v. g. *mea vestis*, *meus liber*, peccet? Respondeo. Si id dicat, intendens, se habere domi-nium illius rei, vel usum, indepen-denter à Superiore, & mentitur, quia dicit falsum, & peccat peccato pro-

prieta-

etatis, quod opponitur Pauperta- Si autem velit solùm dicere illá n esse suam quoad usum dependen- n à voluntate Prælati, nullo mo- peccat neque contra veritatem, que contra paupertatem, ob rati- em oppositam.

Quæres III. An peccet Religiosus ccato proprietatis, tenens, reti- ns, aut possidens quamcunque rem ne licentia sui Superioris, etiamsi lis res sit ex illis, quæ usu consu- untur? Respondeo affirmative. Ra- o est quia per votum paupertatis stringitur ad non exercendum ali- uem actum proprietatis, est autem ræcipuus actus proprietatis, tenere, ossidere, aut retinere aliquid sine li- ntia Superioris.

Quæres IV. An in Monasterijs, in uibus vel ob nimiam paupertatem, el ob malitiam & negligentiam Su- eriorum, non potest observari vita ommunis dando singulis Religiosis

ea, quæ

ea, quæ sunt simpliciter ipsis necessa-
ria secundum decentiam statûs ve-
defacto non dantur, possit permitt-
Religiosis aliquod peculium, &c. i-
Ordine tantùm ad usus simplicite-
necessarios, & amovibiliter á volun-
tate Superiorum? Respondeo posse
Nam eatenus *Concil: Trident:* & sum-
mi Pontifices prohibuerunt Religio-
sis peculium, &c. quatenus vel sup-
ponebant concedi Religiosis omni-
necessaria, vel præcipiebant Superi-
oribus, ut ita facerent, ut constat e-
mente, & verbis ipsorum Decretorum
ego in casu proposito cessat hæc lex
Nec enim præcepta Eclesiastica obli-
gant cum morali impossibilitate, qua-
lis in allato casu esse censetur. De-
inde Superiores tenentur concede-
Religiosis, ea quæ necessaria sunt a-
vitam, & decentiam statûs: Si erg-
hoc fieri non possit, nec Religiosus ali-
ter possit, necessitati suæ succurrere, nis-

diante aliquo peculio, &c. poterit
ipsi permitti. Hac occasione.

Quæres V. An & quomodo tene-
ur Religio suppeditare suis Religi-
is necessaria ad victum, vestitum,
bitum, medicinas? Respondeo.
eneri, & quidem potiùs large ac a-
undanter, quàm parce & diminute
ante quòd juxta effatum *S. Bernar-*
i relatum à *Perez. in Reg. S. Bene-*
cti cap. 32. n. 7. Ubi non est abundan-
a, non est observantia, & ut habe-
ur in *Psalmo 58. si non fuerint sa-*
urati & murmurabunt. Teneri in-
uam, & non solùm ex charitate, aut
idelitate, sed ex justitia, ut in termi-
is docet *Peyrinis de Rel. Præl. q. 1.*
. 5. n. 59. Probatur autem responsio.
Tum quia qui in sacrario operantur,
quæ de sacrario sunt, edunt, & qui
Altari deserviunt, cum Altari parti-
cipant. Cùm ergò Religiosi, in sa-
crario operentur, & Altari deservi-
ant, constat eis deberi alimenta ne-
cessaria

ceſſaria ipſorum ſtatui ac conditioni proportionata. Tum quia in Profeſſione Religioſa initur reciprocus contractus inter Religioſum profitentem, & Religionem admittentem ejus Profeſſionem, quo ille ſe obligat ad inſerviendum Religioni, ſeque ei per omnia ſubijcit in perpetuum, Religio verò ſe obligat ad illum alendum, regendum, tractandum, &c. at omnis contractus eſt ultro citròque obligatorius, ergò &c. Tum quia Bona Monaſteriorum dantur à Fidelibus in ſuſtentationem Religioſorum, qui in ijs degunt, adeòque iſti jus habent ad illa, & Monaſterium obligatur ea illis diſtribuere juxta propria ſtatuta & communem Ordinis conſuetudinem.

13 Ex quo bene infert *Navar: lib: 3. de Reſtit: cap: 1. n. 201.* quod ſi Religioſus vere indigeat re aliqua ex deputatis ad uſum communem, & ſuam ſuperiori proponat indigentiam,

iſte

ite verò ei nolit providere, poteſt
lle eam rem occulte accipere. Ra-
io eſt, quòd ea deputantur ad uſum
ommunem, & cùm Superior non ſit
Dominus, ſed diſpenſator, injuſte de-
negat, ideoque ipſi poſſunt uti jure
ſuo, præſertim attentâ doctrinâ *Sua-*
rez Tomo 3. de Relig: lib: 6. cap: 9.
quòd perinde eſt habere Prælatum ab-
utentem poteſtate ſua, ac illum non
habere, unde fit, ut ſicut abſen-
te Prælato poſſet Religioſus ſubditus
conſulere propriæ neceſſitati ex bonis
communibus Monaſterij, ſic etiam
poſſit eo præſente. Nec id eſt exer-
cere actum dominij ſed ſolùm ſibi aſ-
ſumere uſum rei neceſſariæ, qui vo-
to paupertatis non repugnat. Ca-
vendum tamen ſumme in tali caſu eſt,
ne quidquam ſumatur ultra præciſam
neceſſitatem.

Quæres VI. An Prælatus Regula-
ris ad ſublevandas Monaſterij ſui ne-
ceſſitates, poſſit, & debeat facere ali-

qua debita, ſi ipſum Monaſteriu
non habeat ſufficientes reditus, a
eleemoſynas? Reſpondeo. Licet ſ
periori plurimùm cavendum ſit, n
ſuum Monaſterium gravet ære alien
ob multa incommoda, quæ hinc ſe
quuntur, expedit tamen interdũ gra
vare Monaſterium debitis aliquibus
quàm minùs ſufficienter providend
neceſſitatibus ſubditorum, ijs præbe
re anſam detrahendi de Superioribus
conquærendi de Officialibus, Mona-
ſterij, inducendi proprietatem, ſicq;
diſciplinam regularem evertendi, ut
proinde teſte *Pellizario Tract: 3. cap:
6. n. 18.* cuidam Superiori locali glo-
rianti, ſe in ſuo gubernio nullum de-
bitum contraxiſſe, imò ex reditibus
Monaſterij ipſi ſuperfuiſſe, pruden-
tiſſime reſponderit ſapientiſſimus Ge-
neralis illius Ordinis. *Quàm ego
mallem ut potiùs gravâſſes Monaſteri-
um ære alieno, quàm quòd tuis ſubdi-
tis anſam præbuiſſes tot & tantarum
quæri-*

œrimoniarum. Sic ille, & non mi-
ùs prudenter, quàm pie, cùm cer-
constet experientiâ, nihil magis
onducere ad promovendã regularem
bservantiam, quàm subditis necessa-
ia abundanter ministrare, ut fatetur
eyrinis sup: citatus. Quanquam,
t rectè idem advertit, in casu quo
editus, aut eleemosynæ non suffici-
nt ad debitam Monasterij sustentati-
nem, magis conduceret minuere Fa-
miliam, sic enim non gravaretur Mo-
nasterium ære alieno, & alioquin pos-
sent ministrari necessaria Religiosis ibi
degentibus.

Quæres VII. An in Monasterijs, ubi à Superioribus assignantur Depositarij, ad hoc, quòd apud illos deponant Religiosi suas pecunias, si id non faciant, sed apud se retineant, peccent peccato proprietatis? Respõdeo. Peccant, quia possident illas contra voluntatem sui Superioris, & contra Decreta summorum pontifi-

cum: quæ omnia conſtant, ex De creto Sacræ Congregationis *Apoſtolicæ Viſitationis* juſſu *Urbani* Papæ *VII* pro *Franciſcanis Conventualibus Monaſterij Sanctorum Apoſtolorum Romæ* 1 *Iulij*, 1627.

Quæres VIII. An poſſit Superior Monacho cõcedere aliquam rem, quæcunque illa ſit, ad uſum irrevocabilem? Reſpondeo non poſſe. Quia hoc eſt eſſe directe proprietarium, cùm de eſſentia paupertatis ſit, nihil habere, niſi dependenter à voluntate Superioris.

Quæres IX. An peccet Religioſus contra votum paupertatis ſi Superiori volenti ea quæ illi conceſſa ſunt, auferre, reſiſtat, aut ſi non ſit paratus ad eius nutum ſe illis abdicare? Reſpondeo peccare. Quia tunc eſt maniſeſta proprietas, cùm velit aliquid tenere, aut poſſidere contra voluntatem Superioris ſui.

Quæres X. An Religioſus, qui ex eo;

o, quòd alteri concessum ad usum st, clam sibi aliquid assumit, v. g. ibrum, vestem, &c. peccet peccato proprietatis? Respondeo. Peccat, Quia sine consensu Superioris assumit sibi aliquid, alteri destinatum. Si tamen constaret aliquem Religiosum habere aliquid superfluum, & contra voluntatem sui superioris, & alius indigeret tali re, nec aliter subvenire posset suæ necessitati, si illam ab illo acciperet, non peccaret contra paupertatem. Ratio est, quia in tali casu debet præsumi voluntas Superioris, quòd talis res superflua uni, applicetur alteri indigenti. Attendendum tamen est ne inde sequatur scandala, suspiciones, quærelæ, quæ evenire solent.

Quæres XI. An Religiosus, acceptans donationem, aut legatum absq; licentia sui Superioris, peccet? Respondeo. Peccat, quia vel acceptat sibi, vel Monasterio? si sibi, est proprieta-

prietarius, si Monasterio, si ad hoc n
habet consensum saltem implicitu
usurpat authoritatem illius. Ita *Sa*
chez lib: 7. in Decal. c. 31. n. 34. T
lis tamen acceptatio, si est in fav
rem Monasterij, tenet, quia semp
præsumitur voluntas Monasterij
Ecclesiæ in illis, quæ cedunt in ipsi
us utilitatem.

Quæres XII. An Novitius profes
sionem facturus, & sua Religioni re
licturus, possit Religionem obliga
re ad sibi solvendum quotannis 40
v. g. *scuta?* Supposito quòd faculta
tes relictæ multùm excedant dictam
pensionem? Respond: Posse, & Con
ventum deinde teneri solvere. Cùm
enim sit Dominus rerum suarum, po
test eas relinquere, cuicunque vult
absolute, vel limitate. Nec hoc est
contra votum paupertatis, aut Con
cilium, quia semper suppono, quòd
hunc redditum retineat & expendat
cum voluntate Superioris, idq; in
usus

ſus neceſſarios. Conventus autem cceptans hæreditatem ſic gravatam, enetur ſolvere: ſicut ſi dictus noviius mandaſſet Conventui, ab ipſo nſtituto hæredi, dictam penſionem licui alij Perſonæ extra Religionem ſolvere, & Conventus acceptaſſet, nonne teneretur ex debito juſtitiæ ſolvere? ſic tenetur ſolvere Novitio jam profeſſo. Ita *Ledes: de ſtatu Relig. in communi. c. 4. concl. 3. dub. 14.*

Quæres XIII. An peccet Religioſus contra paupertatis votum, quando rem cum Superioris licentia acceptam, occultat, ne ſuperior auferat? Reſpondeo. Peccare, nam ſic occultans, vult contra ſuperioris licentiam rem illam ablaturi, ſi conſcius eſſet, poſſidere: quod directe eſt eſſe proprietarium. *Proprium enim eſt, quidquid celatur Abbati, vel tenetur contra voluntatem Prælati*, ut ait *Antonin: 3. part: tit: 16. cap: 1.*

Quæres XIV. An Religioſus ha-

bens multa, de quibus constat, quod sint superflua, de superioris licentia paratus tamen omnia in manus Superioris resignare cùm fuerit requisitus, nec de illis disponere absque Prælati licentia, sit in statu peccati mortalis, contra votum paupertatis? Respondeo. Convenire Doctores, quòd tam Superior concedens, quàm subditus retinens, peccent mortaliter. Superior quidem, quia abutitur potestate, peccat peccato infidelitatis quá obligatur ad curandum pro posse, ut servetur in Religione æqualitas uitaque communis. Subditus autem peccat peccato avaritiæ, plura retinens, quàm sibi & usui suo necessaria sint. Ita *Antoninus loco sup: cit: Ledes: ubi sup: &c.* Et utrumque peccare mortaliter declaravit Sacra Congregatio Cardinalium, ut refert *Quaranta in sum: Bull: Verbo casus, declar:* 2. Peccatum tamen hoc non est proprietatis, quia proprium solùm est, ut di-

t diximus, quod celatur Abbati, & quod retinetur contra voluntatem illius.

Quæres XV. An à solis Professis contrahatur proprietatis vitium? Respondeo. Quod sic, quia votum paupertatis violare non póssunt alij, cùm nemo violare dicatur id, ad quod se nondum obligavit.

Quæres XVI. Qualis licentia requiratur, ut Religiosus possit recipere, & retinere aliquid pro suis usibus absque vitio proprietatis? Respondeo. Licentiam expressam optimam esse, sufficere tamen tacitam, & præsumptam. *Eò quòd sit eadem virtus taciti expressi. L. Labeo ff: de pactis.* Vide Authores multos idem docentes apud *Bordonum variarum Resolut: parte priore q. 4.* Responsio tamen hæc locum non habet, quando in Religione adesset præceptum, ut licentia expresse peteretur, nam tunc non sufficeret tacita, quæ locum non ha-

bet, quando formaliter exigitur expressa.

Quæres XVII. An taciturnitas Superioris ſcientis aut videntis Religiosum aliquid recipientem, vel expendentem, neque contradicentis, æquipolleat licentiæ tacitæ? Respondeo Utique per *reg: 43. Qui tacet, consentire videtur.* Sed conſenſus excuſat à vitio proprietatis, ergo & taciturnitas. Confirmatur: quia conſentire, & non contradicere, paria ſunt, *L. In adoptionibus ff: de adop:* ſed tacens non contradicit, ergo conſentit. Quæ dicta ſint non de taciturnitate permiſſiva, qualis eſt illa, quâ ſuperior ex timore, aut verecundia tacet, aut quia loqui non poteſt, nam in hoc caſu Religioſus non excuſatur à vitio proprietatis, quia cauſa permiſſiva non excuſat à peccato, verùm de approbativa, qualis eſt ea, quæ, ſecluſo timore poteſt repugnare, & non repugnat.

Quæres

Quæres XVIII. An licentia concessa sub uno superiore, duret etiam sub alio? Respondeo affirmative, modo ea licentia non revocetur. Responsionis ratio est, quia gratia simpliciter facta non expirat concedente amoto ab officio *cap: si super gratia.* Et licet, ibi sermo sit de morte, tamen extenditur etiam ad mortem civilem per quamcunq; remotionem *Glossa Ver: mortuo Prælato, cap: un: de Sede vacan: in 6.*

Quæres XIX. An Religiosi ludentes peccent peccato proprietatis? Respondeo. Religiosi ludentes de licentia sui Superioris, si non extet, prohibitio Regulæ, vel Constitutionum, in quibus ipse dispensare non potest, non peccat peccato proprietatis, quia rem ludo exponunt dependenter à voluntate Superioris, quæ tamen non præsumitur in ludis illicitis, sed licitis & honestis, ubi parva pecunia insumitur, & moderata ad

statum

ſtatum Religioſi. Ita *Sanchez lib: cap: 16. n. 76.*

Quæres XX. An peccet contra v tum paupertatis Religioſus, qui ſi licentia recipit nummos ab extern eoſque expendit in emendis libris g. eoſque libros retinet in cubicu palam expoſitos? Reſpondet *Dia Trac: de pauper: Reſol: 26. ex Azo Fabio Corrol: Homob:* negative. Qu libros emptos ita tenere expoſitos, e conſequenter eos voluntati ac pot ſtati Superioris ſubijcere, quod e emiſſe ac poſſidere tales libros de l centia Superioris, ſaltem tacita, præſumpta. Verùm probabilius d citur oppoſitum, ex eo, quòd licen tia extendi non poteſt ad omnin incognita, ideòque cùm in caſu pr poſito Superiorem lateat, an aliq ex illis libris palam expoſitis acqu ſiti ſint abſque eius licentia, ex e quòd libri ipſo inſcio empti, expoſi ſint manifeſte, non videtur cenſe

dare

re licentiam ad illos detinendos. æterquam quòd ſic Religioſæ pau- rtatis obſervantia magna ex parte eficeret. Niſi pro Diana velimus icere, quòd cùm in iſto caſu, libri mpti acquirantur Monaſterio, quo- d eorum acquiſitionem poteſt præ- umi licentia Superioris.

Quæres XXI. An delinquat contra aupertatem Religioſus, qui indigens liquibus libris, curat eos emi ab ali- uo amico, ſibiq; tradi ad uſum quoad oluerit, manente eorum dominio enes ipſum amicum, idque ut ijs li- ere uti poſſit deferendo de Mona- ſterio in Monaſterium, & ubi ampli- ùs ijs non indiguerit, reddere poſſit, amico tanquam Domino? Reſpondeo. Non delinquere, ſi tales libros reci- piat cum licentia Superioris, ſecus ſi recipiat ſine licentia. Ita *Sanchez. lib: 7. mor: c. 19. n. 49.* Patetque, quia in priori caſu Religioſus nihil ſibi uſurpat tanquam proprium, ſed

ſolum

ſolum uſum, iſque petitur cum licentia, in poſteriori autem caſu Religioſus abſque licentia, ſibi uſurpat uſum librorum, qui eſt pecuniâ æſtimabilis, adeòque peccat contra paupertatem.

Quæres XXII. An peccet contra paupertatem Religioſus, qui habens libros, aut alias res ſimiles ad uſum proprium conceſſas, ijs revera non indiget, neque ijs utitur, & tamen non vult ea commodare alijs Religioſis Monaſterij indigentibus, ac petentibus? Reſpondeo. Peccare, & mortaliter quidem, ſi materia judicio prudentis, ſit gravis, & interveniat juſſio Superioris id præcipientis, cùm ſic uſus talium rerum ſit proprietarius, & Religioſus in dictarum rerum diſpoſitione ſe gerat ut Dominus, quod utique eſt contra paupertatem. Secùs dicendum, ſi non adſit juſſio Superioris ob rationem oppoſitam. Tunc tamen etiam contra charitatem peccaturum puto.

De

De manuscriptis autem proprijs
udijs ac laboribus confectis, quid
ntiendum sit, dixi in dubitationi-
is ad Decretum de largitione mu-
rum *q. 5.*

Quæres XXIII. An Religiosus fa-
us Episcopus, recuperet jus succe-
ndi Parentibus, & cognatis, nec non
ministrandi bona dum vixerit?
espondeo affirmative. Ratio est,
uia per Professionem non omnino,
irrecuperabiliter extinguitur jus
ccedendi, sed consopitur & suspen-
itur, unde Religiosus translatus ad
piscopatum, recuperat jus succeden-
i priore professione suspensum, pro-
ortionaliter ut *L. 1. parag: Filio qui*
ortis digestis ad Tertullian: dicitur,
us succedendi non omninò amitti
ervitute pœnæ, sed suspendi eo sta-
durante, ideòque concessa benefi-
io Principis restitutione, liberari.
ta *Fagund: lib: 7. in Decal: c. 6. n.*
. ex Sanchez. Azor Molina &c. mo-
nens

nens Religiosum translatum ad Episcopatum, desinere acquirere Monasterio, & acquirere suæ Ecclesiæ à tempore, quo à Papa confirmatur in Episcopum, ex tunc quippe eximitur penitus à jurisdictione Monasterij. Confirmatur responsio ex responsione ad quæst: seq.

Quæres XXIV. An Religiosus creatus Episcopus, eo ipso eximatur à voto paupertatis? Respondeo affirmative. Ita *Pellizarius Tract. 4. cap 2. sec. 5. n. 366. Diana p. 3. Tract. 2 Resol. 50. ex soto, Vasque, Medina imò & Sanchez. lib. 6. mor. c. 6. n. 13* qui concedit istam opinionem esse probabilem, licet ipse oppsitam sequatur. Ratio responsionis est, quòd *cap. Vn. 18. q. 1. de Religioso Episcopo dicitur. Velut legitimus hæres paternam hæreditatem postea jure vendicandi potestatem habet:* signum ergò est Religiosum Episcopum esse verum Dominum, cùm *vendicare, & sibi acquire-*

uirere ſolis veris Dominis compe-
at, *L. in rem ff. de rei vendicat.*

Quæres XXV. An Religioſus ad reve tempus ſubſtitutus in locum Prælati Monaſterij, v.g. per 15. dies, poſſit ſibi ipſi conferre facultatem dandi, & accipiendi res pretio æſtimabiles, pro eo tempore quo erit in eo Monaſterio ſubditus? Reſpondeo. Poſſe ſibi conferre totam eam facultatem, quàm poſſet tunc dare cuicunque alteri ex ſuis ſubditis. Moveor, quòd Superior ut talis non debet eſſe deterioris conditionis, ac ſint eius ſubditi, eſſet autem, ſi frui non poſſet favoribus, & gratijs, quas poteſt conferre ſubditis.

Quæres XXVI. Quæ requiratur quantitas in pecunia, rebuſque alijs, ad conſtituendum in Religioſis peccatum proprietatis? Mirum eſt, quantùm varient Authores. Ego Reſpõdeo. Hanc quantitatem, eſſe id, quòd impenditur congruæ ſuſtẽtationi ho-

minis plebei uno die, qui cibis ordinarijs, vestitu, & habitatione sufficienti ad bonam sui conservationem absque luxu & superbia utatur, u communiter sunt cives quamvis plebei commode viventes. Probatu responsio. Nam juxta *Apost: 1. ad Tim: 6.* Non potest esse homo contentus, nisi habeat, quæ necessaria sunt ad sustentationem congruam, dicit enim. *Habentes autem alimenta & quibus tegamur, ijs contenti simus* unde rogabat *sapiens* Deum. *Divitias & paupertatem ne dederis mihi sed tantum victui meo tribue necessaria*, qui ergo damnum patitur per negationem sustentationis debitæ uno die homini in mediocritate constituto, habet justam causam, ne sit contentus, adeoque ut irascatur, & dissolvat mutuam benevolentiam adversus eum, qui sic defraudaverit ipsum, si ergo tantum accipitur, invito Superiore accipi censendum est,

pecca-

eccatumque proprietatis incurri.
Et licet videatur hæc regula non ſſe bona reſpectu locorum opulentorum, quæ ex damno allato non patiuntur tale damnum, nec rationabiliter diſſolvunt amicitiam, cum abundent divitijs: hoc tamen eſt per accidens, quia quòd homo ſit dives vel pauper, eſt per accidens ad rationem hominis; in ponderando autem damno ſpectari debet, quod per ſe homini debetur. Sicut enim qui lethaliter vulneraretur, gravem pateretur injuriam, utut haberet medicamenta, per quæ vel vix ſentiret dolorem vulneris, vel ſtatim ſanaretur, ſic & in caſu noſtro.

Et certe ſemper mihi viſa eſt difficilis alia determinatio, ex valore pecuniæ, mercium, &c. Nam vel hic valor accipitur, ut eſt in uno loco, & hoc non valet pro alia regione, ubi non eſt idem valor, vel accipitur valor, ut eſt in diverſis locis, & hic

non eſt etiam capax unius determi nationis, quod enim apud nos habe tantum valorem, habebit multò ma jorem apud aliquos, & multò mino rem apud aliquos, & multò minoren apud alios. Idem dic de determina tione ex valore mercium, quia quod in una Religione æſtimatur plurimi in alia erit vile.

Quod punctum de non pluribus in Monaſterijs alendis, quàm ex conſuetis redditibus ali poſſint, & ut alibi ſtatuitur, de non recipiendis Conventibus niſi in eis duodecim Fratres degere valeant, alias Ordinarij viſitationi & juriſdictioni ſubderentur, âttinet. Nota id comprehendere etiam eas Religiones, quæ onera Miſſarum non recipiunt, ut Religio *Capucinorum*, & habere etiam locum extra Italiam. Ita enim reſpondit Sacra Congregatio Concilij ad 17. & 18. dubium circa ea Decreta *de celebratione Miſſarum.*

Nota

Nota etiam in eo casu omnimoda
risdictio, visitatio, & correctio, ac-
pienda est solùm quod spectat ad
isciplinam Ecclesiasticam, non quo-
d observantias regulares. Ratio est,
uia cùm votum Religiosorum non
t de obediendo Episcopis, sed pro-
rijs Prælatis, solùm poterunt illis
sse subiecti sicut alij Clerici sæcula-
es, ac per consequens non quoad ob-
ervantias regulares. Ita *Lezana To-
o 1. cap: 11. n. 4.*

Nota præterea, ibi non tangi Con-
entus ante ea Decreta erectos, sed
ost *erigendos*. Vide Decretum Sa-
ræ Congregationis sub *Gregorio XV.*
& Urbano VIII. emanatum: sed uti-
nam fuisset additum, ut illa Monaste-
ria jam recepta, in quibus dictus nu-
merus non potest sustentari, vel non
est saltem probabilissima spes, quòd
de brevi poterit, dimitterentur. Et-
enim ubi parvo nimis habitatur in
numero, ubi tres quatuor degunt,

 impos-

impossibile moraliter est, ut vita regularis, & disciplina observetur, coguntur que ibi Religiosi frequenter ire ostiatim mendicare, ut potiùs continui Cursores, & eleemosynarum quæstores nuncupandi sint, quàm Religiosi, & potiùs videantur ibi stare ad victum sibi quærendum, quàm ad Deo serviendum. Inde Religiosorum vilipendium. Inde sibi quisque quærit peculium, ut possit necessitatibus suis subvenire, ut si quando contigerit eum ad talia loca inhabitanda mitti. Inde unusquisque facit quæ sibi placita sunt. Inde scandala, relaxationes paupertatis, aliorumque votorum, & taliter assueti si deinde reducantur ad Conventus, in quibus vigeat regularis disciplina, jam fracto jugo, ruptis vinculis, ei subijci ampliùs non possunt. Quod malum si ponderarent Prælati, equidem tot tuguria vel relinquerent, vel non susciperent.

Electio res valde familiaris est in-
er Regulares, & novis quotidie dif-
icultatibus exposita. Agit de illa
Decretum, & nos quæ digniora cir-
ca eam existimabimus, non præter-
mittemus.

Quæres I. An tractatus & collo-
quium, si fiat à vocalibus ante electi-
onem, vitiet electionem? Respondeo.
Non vitiat, imò jure communi debet
præmitti electioni, *Glossa verb. tra-
ctantes cap: 1. dist: 23. per cap: in
Genesi 55. de elect.* Unde habetur
tractatu omisso, nullam sequi electi-
onem, unde *Anton: de Butrino* dicit
tractatum esse de substantia electio-
nis, sicut est de essentia alienationis
in *cap. Cùm inter*, & in *cap. In cau-
sis de elect.* Quomodo enim legiti-
ma electio fieri potest à vocalibus,
nisi priùs inter se discurrant, & ju-
dicent, quinam digni sint, ut exclu-
dantur indigni, & inter dignos assu-
mantur digniores? non ergo hoc pro-

 hibent

hibent summi Pontifices, & multorum Ordinum Constitutiones, pœnas taxantes contra subornatores in Electionibus, intelligi enim solùm debent contra illos, qui precibus vel donis suadent alijs, ut dent vocem quibusdam ob finem pravum, vel iniuste mentiendo vitia, vel virtutes eligendorum. Confirmatur responsio nostra, qui enim tenetur ad finem, tenetur & uti medijs necessarijs ad finem obtinendum, juxta regulam juris: *Qui vult consequens, vult & antecedens, conducens ad illud*, cùm ergo electores teneantur eligere digniorem, tenentur etiam inquirere ipsũ, ad quod facit dictus tractatus.

3 Quæres II. An electores si sciant eum, de cuius electione agitur, esse indignum, & futurum perniciosum bono communi, teneantur manifestare Præsidi electionis defectus illius, esto occultos? Respondeo affirmative. Quia in tali eventu eligendus non

on habet jus proximum ſuæ famæ, onum enim commune præferri de-et bono privato particularis Reli-iosi.

Quæres III. An teneat electio per abas facta? Reſpondeo negative. Ra-io eſt, quia in caſu quo aliqui ex ele-toribus ex fraude, vel mala alia in-entione, ad impediendam electio-nem plura ſuffragia dent, vel quid imile maligni faciant, munus erit Præſidis præcludere viam, tali mali-gnanti, & ut fiat electio legitime, præſcribere ſcrutatoribus, ut ape-riant votum eorum de quibus eſt ta-lis ſuſpicio, & manifeſtentur, ut pu-niantur, quod fieri non poſſe ſi ele-ctio fiat per fabas, per ſe patet. Et licet *Tridentinum ſeſſ. 25. c. 16.* præ-cipiat, ut eligentium nomina nun-quam publicentur, hoc tamen ideo præcipit, ut ibi dicitur, *quo omnia rectè, & ſine ulla fraude fiant.* Non ergo extenditur ad caſum allatum.

Quæres IV. An possit quis licite suffragium suum negare alicui, quem per solam Sacramentalem Confessionem novit indignum? Respondeo I. Indigno ita cognito, nemo tenetur denegare suffragium. Ita *D. Thomas in 4. dist: 21. q. 3. a. 1. quæstiuncula 1. ad 3.* Ratio est, quia non tenetur quis mederi saluti & animæ proximi, ut habet *D. Thomas* loco citato, nisi eo modo quo scit illam periclitari ergo sciens in foro conscientiæ aliquem esse indignum, in eodem foro tantummodo debet illi remedium adhibere, admonendo, ut a tali electione abstineat, ergo non tenetur ad denegandum illi suffragium extra illud forum. Respondeo II. Nullum Electorem posse unquam uti scientiâ partâ per Confessionem Sacramentalem, ad non eligendum aliquem, quem aliunde non novit indignum. Aliàs siquidem multi delinquentes retraherentur á Confessi-

one au-

ne auriculari facienda de graviori-
bus peccatis, si præviderent ex eo-
rum Confessione sumi posse occasio-
nem ipsis denegandi suffragia in ele-
ctionibus. Nec refert, quod forte
sequetur ex eorum electione detri-
mentum aliquod temporale, vel eti-
am spirituale; hoc enim non ita no-
cebit Ecclesiæ universali, sicut noce-
ret aversio & horror Sacramenti pœ-
nitentiæ, si ex eo sumi potest ansa
denegandi suffragium in electione.
Non item refert, quòd ille peccator
sit indignus qui eligatur, nam eius-
modi indignitas non magis cogno-
scitur ex Sacramentali scientia, quàm
si jugiter ignoraretur. Deniq; qui
confitetur animo contrito, post abso-
lutionem debet à Confessario pro in-
nocente reputari, alioquin absolvi
non debuisset, si rediturus iterum ad
vomitum præsumebatur.

Quæres V. An Superior teneatur
publicare electionem, si ipsi constet

electum fuisse indignum? Respondeo Teneri, & hoc ne alioqui feratur sententia contra reum inauditum, & in materia gravi condemnetur non citatus.

Quæres VI. Eligendus ad Prælaturam qualis esse debeat? Respondeo Debet esse cœteris sanctior & doctior. Ita enim habetur ex *cap. Vnum dist.* 25. ubi dicitur, *quod eligendus ad Ecclesiasticam dignitatem, talis debet esse ut cæteri comparatione illius grex dicantur.* Et verò natura ipsa id dictat, apes enim & grues, cœteraque animalia, quæ sibi constituendi Regem, habent instinctum, semper eligunt, qui cœteris præstat magnitudine, &c. Idem præscribitur in *Tridentino sess.* 24. *de refor. c.* 1. & 18.

Quæres VII. An in electione, indigenæ præferendi sint extraneis? Respondeo. Esse. Probatur ex illo *Ierem.* 30. *Conteram jugum ejus de collo tuo, & vincula ejus disrumpam. & non*

n dominabuntur eis amplius alieni: bi notanda sunt illa verba: *conteram* *gum, & vincula disrumpam,* quia ugum portare, vinculisque ligari, est ubernari ab aligenis, *Deut.* etiam z. habetur. *Non poteris alterius gen*-*is hominem, Regem facere.* Deinde *ap. enim nullus invitis 16.* ait *Cæle*-*inus* Papa, *Tunc autem alter de al*-*era eligatur Ecclesia, si de civitatis* *psius clero nullus dignus, (quod eve*-*ire non credimus)* poterit reperiri. robat idem *D. Thomas 2. 2. q. 63.* . *2. ad 4.* Quia unusquisq; ut pro-pensiorem habet animum ad suam propriam civitatē & Ecclesiam, quā d aliam, & hac ratione poterit esse tilior. Itaq; sanctissimæ sunt illæ eges, quibus cavetur, quod non nisi aturales assumantur ad officia patriæ uæ, & ut *Sotus lib. 4. de just. q. 6.* *a. 2.* paulò ante 10. concl. ait, *Vti*-*nam eas ubiq; sanciret Ecclesia, quem*-*admodum & in Trident. Concil. me*

præsen-

præſente inquit conſultabatur.

Quæres VIII. An poſtquam qui dedit ſuum ſuffragium, poſuitq; ſchedam in urnam, poſſit eam recipere ac votum mutare; ſi de novo audivi vitium Perſonæ cui ſuffragatus eſt? Reſpondeo non poſſe. Quia ſic poſſe quilibet ex malitia electionem in longum protrahere. Deinde ſcheda projecta in urnam, ita miſcetur cum alij ut impoſſibile ſit eam cognoſcere: unde poſſet quis in fraudem electioni fingere, velle ſe ſumere ſuam ſchedam ad mutandum votum, & ſumere aliam. Accedit quòd Elector priù debeat adhibere omnem diligentiam ad cognoſcendas qualitates perſonæ eligendæ, unde ſi vitium latens audi poſtquam votavit, non eſt quòd ſollicitetur, cùm fecerit quantum potui & ſic legem implevit.

Quæres IX. An ſemel reprobatu propter vitium ab aliqua dignitate poſſit iterum eligi ad illam vel aliam?

n ? Respondeo non posse. Quia nel malus semper *præsumitur ma-*, quæ est *8. reg: jur: in 6.* nisi obetur emendatus.

Quæres X. An licitum sit offerre unera, ut non eligatur indignus, casu quo Electores essent determi- ati ad eligendum indignum præter- isso digno? Respondeo esse. Imò oncedit *Suarius Tomo 1. de Relig: b: 4. c. 50. & Lessius lib: 2. de just: p. 35. dub: 19. n. 113.* quòd si ali- ui Electores injuste electionem im- edirent, posset illis pecunia offerri ro redimenda vexatione Ecclesiæ, uius plurimùm interest dignum ha- ere Pastorem. Alijs tamen vijs pri- is procurandum est, ne quispiam suf- ragetur indigno.

Quæres XI. An Electio Prælato- rum Regularium possit arctari ad cer- tum genus hominum v. g. ad eos, qui tot, & tot annos attigerunt, tali aut tali gradu sint insigniti? Respon-

deo

deo poſſe. Tum quia ſic non tollitur libertas eligendi, nam electio Papæ eſt reſtricta ad Cardinales, ita ut non poſſit eligi, niſi unus ex illis, & tamen eſt libera, tum quia valet conſuetudo, ut Abbas certi Monaſterij non eligatur, niſi de certo quodam Monaſterio. *cap. Cùm dilectus de conſuet.* Tum quia hinc non ſequitur Electores in aliquo caſu poſſe adſtringi ad eligendum indignum nam ſi intra genus illud Perſonarum non reperiatur ullus dignus, tunc ceſſat ratio ſtatuti, ſicq; poteſt eligi alius dignus.

Quæres XII. An in Conventu ubi ſunt tantûm duo vocis paſſivæ capaces, unus alterum eligere poſſit? Reſpondeo non poſſe. Quia in hoc caſu impoſſibile eſt ſervare eſſentiam electionis, quæ eſt aſſumptio unius ex pluribus ad minus ex duobus, quia pluralitas ſalvatur in duobus *reg: 40 in 6.* in caſu autem præſenti eligens

non

non habet duos quos eligere possit, sed unus alterum eligere debet. Ex quo fit, neque posse hac ratione servari electionis secretum, ut per se patet.

Quæres XIII. An absens possit eligi? Respondeo, nulli dubium est, nihil de jure obstare, quin possit eligi absens, & ignorans futuram de se electionem. Ita colligitur ex *cap: Quam sit 6. & cap: Cupiens 16. de elect: in 6.* Quia ex electione electus nullam actionem, nullum consensum, dùm præcise eligitur, præstare debet, nisi in eiusdem acceptatione, quæ postmodum fit, ergo eius præsentia necessaria non est. Limitanda est tamen responsio, respectu earum Religionum, in quibus electi in ipso electionis capitulo exercere habent aliquos electionis actus, unde in Generales, Provinciales, Definitores eligi absentes non possunt, quan-

do hi ad electiones Priorum, &c. concurrere debent.

Quæres XIV. An valeant acta in Capitulo, si inter Capitulares reperiatur aliquis affectus censurâ aliquá excludente ab electione? Respondeo valere, si censura sit occulta, ideoq; ignorata ab alijs Capitularibus, siquidem defectus unius, aut aliquorum, non debet nocere Capitulo id ignoranti, ut recte advertunt *Abbas cap: Cùm Vitonensis de Elect: n. 2. Navar: lib: 1. Consil: de Elect:* Tum ex *Regula 73. in 6. Utile non debet per inutile vitiari.*

Quæres XV. An idem in plures Officiales eligi possit, v. g. in definitorem, & Superiorem localem? Respondeo non posse. Et Probatur.

I. Quia in Canonibus sacris *Decret: 1. par: Distinct: 89. cap: 1.* Uni Personæ duo non esse committenda Officia definivit Papa *Gregorius* in hæc verba. *Singula Ecclesiastici*

juris

juris officia, singulis quibusq; personis singillatim committi jubemus, sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita in Ecclesiæ corpore, secundum veridicam Pauli sententiam, in uno eodemq; spiritu, alij conferendum est hoc officium alij, cõmittendum est illud, neque uni quantumlibet exercitatæ Personæ uno tempore duarum rerum Officia committenda sunt. Et infra *sicut indecorum est, ut in corpore humano alterum mẽbrum alterius fungatur Officio, ita nimirum noxium, simulq; turpissimum, si singula rerum ministeria Personis totidem non fuerint distributa.*

II. Electio dicta enervatur ex *Decret: lib: 3. Tituli 5. de Præbendis & dignitatibus cap. 28.* ubi legitur. *De multa providentia fuit in Lateranensi Concilio prohibitum, ut nullus diversas dignitates Ecclesiasticas, vel plures Ecclesias Parochiales reciperet contra*

sacrorum Canonum instituta, alioqui recipiens sic acceptum amitteret, &c largiendi potestate conferens privaretur. Quam prohibitionem novo Decreto ampliat Pontifex, & adijcit *hoc idem in Personatibus esse decernimus observandum, addentes, ut in eadem Ecclesia* (infertur, eadem Religione) *nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat, etiam curam non habeant animarum.*

Consonant his *Decret:* itidem *Libr. 3. c. 5. 7. 13. & 14.* alijque passim textus complures, quibus locis pluralitas beneficiorum, & *canonibus inimica* esse dicitur, & *dissolutionis, ac evagationis materiam inducere,* mandaturque singula officia singulis esse committenda personis, sub pœnis ibi contentis.

III. Dispositio hæc censetur irrita ex Tridentino *sess: 24. de Reform: cap: 17.* quod decidit, Ecclesiasticum ordinem perverti, *quando unus pluri-*

um of-

m officia occupat Clericorum, ſtatuit-
ue ut deinceps *unum tantum benefi-
ium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur*,
xtendendo id ad omnia beneficia,
am ſæcularia, quam regularia, ut lo-
uitur *Concilium*.

Quæ omnia ſubſiſtunt firmiùs, & à
Religione non una veniunt obſervan-
la exactiùs, quòd earum conſtitutio-
nes Pontifices non aliter approbârunt,
& confirmârunt, quàm *in quantum
ſacris Canonibus, & Concilij Tridenti-
ni Decretis non adverſantur*. Illud
etiam expreſſe ſæpiùs apponentes, fo-
re *irritum & inane, ſi ſecus ſuper his
à quoquam quavis auctoritate, ſcien-
ter vel ignoranter contigerit atten-
tari*.

IV. Unus Sponſus debet una Spō-
sâ tantùm eſſe contentus, ſed defini-
tor vel ſuperior, reſpectu officij ſui
ſe habet tanquam ſponſus erga ſuam
ſponſam, ut eruitur *ex cap. Ne pro
defectu de electione* ergo nequit ha-

bere & definitoratum, & Superioratum, aliàs esset, ac si quis plures haberet uxores, vel Bigamiam contraheret, quod detestatur Ecclesia.

Quando alicui hoc modo assignantur duæ dignitates, sequitur maxima inæqualitas, scilicet, quòd alius quidem quantumlibet probus & doctus officioque dignissimus, *esurit*, *alius autem ebrius est*. Confirmatur. Nam ex textu infra immediate citando, consuetudo hæc, imò (verba sunt Potificis) *corruptela, processit* ex *radice ambitionis*, à qua Religiosis abhorrendum est.

VI. Unum officium, ut prudentissime advertit *Bonifacius VIII.* & habetur *in 6. de consuetudine titulo 4. cap: 1.* propter sui magnitudinem diligenter aliquis ægre adimplere potest, incongruum igitur est ut duo conferantur eidem. Propter quod haud dubie, uti est in *Decretal: lib. 3. tit: 5. cap. 13.* supra citato. *Saler-*

nitano.

nitano Archiepiſcopo ſignificavit Pontifex, *eſſe omni rationi contrarium, ut unus Clericus in una vel diverſis Eccleſijs plures dignitates, vel perſonatus obtineat.*

Et ſane cùm Patres Definitores, juxta conſtantem Doctorum ſententiam, curare debeant, ut eàdem ſcientiâ polleant, quâ Generales ipſi, ac Provinciales prædìti ſunt, utpote iſtorum in cauſarum deciſionibus Conjudices, ac in gubernando Collegæ, liquidò patet, eſſe periculum, ne implendæ huic obligationi plane ſint impares, ſi localis etiam Prælaturæ, & Oeconomiæ curis diſtrahantur.

VII. Evacuatur hæc Electio. Quippe dum eligitur Pater Generalis, aut Provincialis ad quam electionem non modò Definitores, ſed & Superiores locales ex Ordinis non unius ſtatutis concurrunt, numerari tot vota, ſuffragiaque non poſſunt, quot numeraren-

rarentur, si officia hæc conferrentur diversis. Etenim Patres Definitores, qui simul Superiores locales sunt, in dictis electionibus non minùs uno tantum voto suffragantur, quàm si locales Superiores non essent, Superioratusque à Patribus Definitoribus gubernati vocem amittunt, unde restringuntur & imminuuntur vota, quod & illicitum est, & vergere potest in fraudem Electionum, & grave Religionis detrimentum.

VII. Pater Generalis, & Provincialis causas suas expedire debet cum Patrum Definitorum consilio consensu *collegialiter* & *simul* habito, alias si separatim consentirent, actus prorsus esset irritus & nullus. Ita *Parmit: in cap: Cùm Ecclesia num: 14.* & plures alij apud *Sigismundum à Bononia de Elect: & potest: Prælat: Regul: dub: 3. n. 3. & 9.* Quare & sacra Congregatio Propagandæ Fidei declarat in Ordine meo *non licere Patri Generali*

vota

ota definitorum per literas exigere cus uota per literas data, nulla ſint, c invalida. Iam verò quâ ratione de rætacto conſilio, & conſenſu negotia elerrime occurrentia modo dicto ex- ediri poſſunt, ſi Patres Definitores erConventus quibus præficiuntur, liſperguntur remotique à Patre Ge- erali, vel Provinciali ſunt.

IX. Videtur ſic abſolute exerceri non poſſe à Patribus Definitoribus debita juſtitia, quam tamen ſervaturos ſe communiter jurant. Conſtat enim, dùm locales Superiores agunt eos vel incidere ſæpiùs actu, vel ſaltem incidere poſſe in culpas, & negligentias, quarum Superiores alij nonDefinitores, vi adminiſtrationis ſuæ culpabiles nonnunquam efficiuntur. Quomodo autem picem in alijs punient, quà ipſi inquinati erunt, & errores plectent, quorum ipſi ſunt participes?

Accedit, ſi Fratres ſubditi graven-

tur in Conventibus, quibus Patre Definitores præponuntur, & difficillimos reddi ad Definitorium recursus, utpote cui intersunt, & intolerabile recurrentibus illorum iterum quos detulerint jurisdictioni ordinariæ subjacere, & in una persona tam Definitorem, quàm Superiorem localem sibi videre infensum.

X. Ad electionem Superiorum localium concurrunt cum Patre Generali, aut Provinciali, Patres Definitores, cumque hi votis suis tanquam plures prævalere in Religionibus certis possint, accidere potest, ut semper ipsi se invicem in Superiores ejusmodi eligant, & in ijs Officijs cõservent. Atque cùm personarum dispositio etiam ab ijs dependeat, pro parte sua eas eligant, quas voluerint, nec unus obstet alteri, ut hîc vicissim ejus favorem in simili materia experiatur.

Quod quàm cum insigni justitiæ distri-

distributivæ, bonique communis detrimento, & requisitæ in Electionibus Superiorum localium, libertatis jactura, Conventuumq; quibus præsunt Patres non Definitores, lamentis Contingere valeat (cùm subjecta in Ordine deteriora sibi proijci *vident*) nemo non *videt*.

Prædicta procedunt seclusis Religionum statutis, à sede maxime Apostolica approbatis, quæ si antelatas electiones concedant, hæ validæ sunt, ac inexpugnabiles.

Declaremus iam decretum, quo Religiosi Romam petere non possunt, nisi cum licentia Generalis, aut protectoris, aut Provincialis.

Quæres igitur An subditus gravatus injuste, deque gravamine protestans, & appellans, nec licentiam eundi ad sedem Apostolicam, obtinere potens, possit illam adire? Respondeo Posse Neque enim id contrariatur *Concilio Trident. sess. 15. de Regul: c.*

gul c. 4. aut summis Pontificibus, siquidem non prohibentur ibi Religiosi recurrere ad superiores suos per viam appellationis, sed tantùm quòd ad eos personaliter non recurrant sine superiorum suorum licentia, quæ duo longe divisa, & distincta sunt. Neque enim credendum est vel à Concilio, vel à Pontificibus tolli Religiosis id, quod eis competit de jure naturæ quòd cum suadeat, ut quisq; seipsum meliori modo quo potest, defendat, certe reus injuste gravatus, ad judicem superiorem legitimũ appellare potest, ut hoc modo, se ab injusto gravamine salvet. Id quód exemplo *Pauli Apostoli* confirmatur, qui *Actorum 25. Cæsarem appellavit.* Adde neminem privari voce activa & passiva (quam pœnam afligit *Clemens VIII. Romam* sine debita licentia venientibus) nisi præcesserit culpa, in casu autem nostro nulla adest culpa, ergo &c.

Nota

Nota autem I. Si superior petitam
centiam denegaverit, tunc subditus
ravatus coram testibus fide dignis,
centiam petat, licet certò sciat eam
ibi denegandam, & procuratis lite-
is testimonialibus ab illis, qui au-
liêrunt dictam licentiam ab eo fuisse
petitam, superiorem adeat, juxta Bul-
am *Sixti V.* quæ incipit *ad Romanũ*
pectat. Quas literas illi facere tenẽ-
tur, cùm de injustitia gravaminis o-
mninò constat. Quia injuste grava-
to debitum charitatis postulat, ut o-
mnes succurramus. Vide *Suarez Tom.*
4. de Relig. tract. 1. lib. 3. c., 1. n. 7.
Addunt *Navar. com. 3. de Regul. n.*
15. ad 4. & *Sayrus in Clavi Regia lib.*
12. cap. 17. Si subditus petendo li-
centiam superiorem majorem adeun-
di, timet rationabiliter de maiori ali-
quo gravamine, non tenetur eam pe-
tere, sed potest etiam illâ non petitâ
Superiorem adire, quia nemo tene-
tur sibi majus gravamen procurare.

Nec

Nec judicanda ſunt hæc nimium ſubditis favorabilia, cùm Superiores aliquando ita ſint indiſcreti, parùm charitativi, ſeque magis paſcentes, quam ſubditos, ut ijs miſera ſit agenda vita, niſi eiuſmodi jurium fulcris ſuſtententur. Imò advertit *Portel: in addit: ad dubit: Reg:* verbo *Habitus n. 3. Diana Tomo. 3. Tract. 2. reſol: 115.* Quòd Religioſus gravatus recurrens ad ſuum Prælatum, ſi *prudenter* timet ſibi impediri iter, & plùs gravari, poteſt habitum dimittere, & ſic incognitus iter ſuum proſequi, nam portare habitum eſt præceptum humanum, quod non obligat cum periculo carceris v. g. infamiæ, gravaminiſque iniuſti.

Nota II. Regularis non poteſt appellare à punitionibus ſibi juxta ſtatuta inflictis. Quia appellatio inventa eſt ad tollendum injuſtum gravamen. ſed gravamen non ſentit Religioſus, cùm ſecundùm ſtatuta ad quæ profeſ-

ofeſſus eſt, corrigitur, quia ad id
onte ſe obligavit, *ſcienti enim &*
lenti non fit injuria. Et verò ſic
pellare teſte *Lezana* inf: mox ci-
ndo, eſt inventum diabolicum, ho-
rem religionis inhoneſtans, pacem
tranquillitatem religioſorum per-
rbans, ſignumq; maximæ relaxati-
nis, cùm regulariter loquendo, ſo-
m apud aliquos ambitioſos, ſuper-
os, & deformatos locum habeat;
oſdem his elogijs condecorat *Peyri-
us Tomo 1. q. 1. c. 20.* Latrones ſunt
fures, bonum nomen, & famam
iorum confratrum harpagantes, Fra-
ricidæ, fratrum ſuorum honorem ma-
ulantes, ferientes, & quandoque o-
nninò tollentes, Matricidæ, Religio-
em pijſſimam, & munificentiſſimam
llorum matrem, quæ tot, tantiſque
radibus eos cumulavit, dignoſque
eddidit honorari ab omnibus, ne-
are quantum in ipſis eſt, non ve-
entes. Ingrati homines, ingratæ
beſtiæ,

bestiæ, imò ingratiores, & bestialiores bestijs: nam *cognovit Bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui:* ut ait *Isaias cap: 1.* Isti autem benefactricem suam non cognoscunt.

Nota III. Non licet Regularibus ad tribunalia sæcularia appellare, aut coram illis querelam facere contra suos Prælatos: sicut nec ad tribunalia Ecclesiastica, quibus non subduntur. Cùm enim ab ipsorum jurisdictione exempti sint, nullo jure id possunt; appellatio enim, seu querela, non est, nisi ad superiorem. Secùs facientes quas pœnas incurrant, vide *Lezanã Tomo 2. Vocab: Appellare.*

Nota IV. Appellationem debere fieri tempore legitimo, scilicet 10. dierum *cap: Concertationi, & c. Non solùm de appel: in 6. c. Cùm dilectus fin: de elect.* Hic porrò terminus de decem dierum currit à die scientiæ latæ, sententiæ, quia datur reo ad deliberandum, an velit stare sententiæ

latæ,

atæ, an ab illa appellare, ad quod est necessaria scientia illius. Nec potest Iudex hoc tempus minuere, aut augere, quia illud est introductum à jure in favorem partium.

Nota V. Appellationem hoc ordine debere fieri à Priore ad Provincialem, ab hoc ad Generalem, á Generali ad protectorem &c. Ita enim statuit Sacra Congregatio Anno 1587. Possunt tamen Religiosi immediate à suo superiore appellare ad Sedem Apostolicam. Probatur per duo *cap: ad Romanum* 5. & 7. 2. q. 6. Ratio est, quia Papa est principalis, universalisque superior Regularium, unde illorum est Prior, Provincialis, Generalis, omnesque illi immediate subijciũtur, *cap: Authoritate paragr:* 1. *de privil: in* 6. *glos: c.* 1. *de rebus Ecclesiæ non alienandis in* 6. vide *Navar: Consil:* 2. & 4. *de appel: n.* 3. Idem sentit *Lezana de sacra Congreg: Regulariũ Tomo* 1. *c.* 9. quæ jure cõputanda videtur inter tribunalia Regularium.

DECRETA GENERALIA,
Fel: record.
CLEMENTIS PAPÆ VIII.

De Novitijs ad habitum Regularẽ, & professionem non admittendis, nisi in Conventibus designandis, sub pœnis ut supra, bis in Anno legenda, diebus à Superiore præscribendis.

CLEMENS PAPA VIII.

REgularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimum juxtà nostri muneris debitum laborare non desistimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano usu compertum est, quod in omnibus Conventibus, ijs præsertim, qui majori reformatione indigent, singuli ad Religionem venientes; passim recipiuntur. Unde fit, ut quò magis, nos varijs constitutionibus male affectas radices amputare studemus: eò magis in dies depravata, in-

fructu-

ructuoſaque eiuſmndi noviter pro-
tentium germina ſuccreſcant. Cui
quidem malo occurrere volentes, præ-
enti Decreto ſtatuimus, diſtricteque
præcipimus omnib9 Generalibus, Pro-
vincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris
cæteriſque Superioribus Conventu-
um intra Italiæ, & inſularum adia-
centium fines exiſtentium quibuſcun-
que, & quorumcunq; Ordinum men-
dicantium, ut de cætero neminem ſub
quovis prætextu, aut colore ad ha-
bitum regularem admittant, niſi in
Conventibus auctoritate noſtra pro-
pediem in unaquaq; Provincia deſi-
gnandis. Inſuper ſancimus, ut quo-
ad ejuſmodi Conventus, ut præfertur
per nos deputati non fuerint; omnes
præfatorum Ordinum Superiores à
receptione quorumcunque novitio-
rum, ſive ad habitum, ſive ad pro-
feſſionem omnino abſtineant. Supe-
rior, qui hujus Decreti tranſgreſſor ex-
titerit, ipſo facto pœnam privatio-

 nis o-

nis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, se noverit incurrisse, ac alijs etiam pœnis arbitrio nostro subiaceat. Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum nostrū admissi fuerint, nullas & irritas ex nunc decernimus, & declaramus. Privilegijs, statutis, & consuetudinibus quibuscunque in contrarium minime obstantibus. Datum Romæ die 12. Martij, 1596.

Renovatio, & ampliatio eiusdem Decreti.

De Novitijs ad habitum Regularem non recipiendis, nisi in Monasterijs, & locis designandis.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus noster D. Clemens Divina providentia Papa VIII. cum jam dudum

udum animadverteret collapsæ Regularis disciplinæ restitutioni ; pro qua potissimum, juxta sui muneris debitum, vigilare, ac laborare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quòd in omnibus Monasterijs, & Conventibus, ijsque præsertim, qui majori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes, passim, ac sine delectu recipiuntur, ac inde fieri, ut quò magis varijs constitutionibus male affectas radices evellere studet, eò magis infructuosa noviter profitentium germina quotidie succrescant: cumque ob zelum, ac desiderium, quo tenetur Sanctitas Sua omnes Regulares ad vetus suæ cuiusque religionis institutum redigendi, districte prohibuerit, ne quis in certis Monachorum, & mendicantium Ordinibus ad suscipiendū habitum Religionis admitteretur, profitereturve, quousque Monasteria, & Conventus

aliquot destinarentur, in quibus posset commodiùs Regularis observantia secundùm reformationem à Sanctitate sua institutam introduci: Qui tamen non obstante tali prohibitione, cognovit nonnullos fuisse, vel sub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate sua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non pervenerit, receptos, & admissos, præter mentis suæ sensum: Idcircò huic malo prospicere volens, ne licentiarum, ac facultatum huiusmodi subreptione, ac prætextu, decretum Sanctitatis suæ irritum reddatur; nunc denuò stricte præcipit, ac mandat omnibus Generalibus, Provincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuscunque, cœterisq; Superioribus, Conventuum, Monasteriorum ac Domorum quocunque nomine appellantur, intra Italiam, & Insularum adiacentium fines existentium,

n, quorumcunque Ordinum men-
cantium, (exceptis tamen Carthu-
anorum Fratrum Minorum de ſtri-
iori obſervantia, nec non Capucci-
orum S. Franciſci, Reformatorum
. Dominici, Diſcalceatorum Ordinis
Carmelitarum, nec non Fratrum Con-
gregationis Fulienſis Ciſtercienſis Or-
linis, ac Eremitarum Eremi Camal-
lulenſis, & Montis Coronæ: Cleri-
corum Regularium Theatinorum, So-
cietatis Iesu, S. Pauli Decollati, &
aliorum de Somaſcha, Miniſtrorum,
Infirmorum, reſpectiue Ordinibus,
Societatibus, ſeu Congregationibus
nuncupatis, quæ etiam antea exce-
perat, & nunc iterum excipiendo,
voluit prohibitionem hanc ad illa nul-
lo modo extendi.) Ne ſub cuiuſvis
licentiæ, & facultatis impetratæ, vel
impetrandæ obtentu, niſi per literas
in forma Brevis dumtaxat, & non a-
lias quemquam ad habitum Regula-
rem ſuſcipiendum, nec etiam conver-

 ſos, ni-

ſos, niſi in Conventibus, Monaſterij
& Domibus, auctoritate ejuſdem
D. N. propediem in unaquaque Pro
vincia deſignandis, recipere, aut re
ceptos ad profeſſionem admittere ul
lo modo audeant. Quinimò contr
primam prohibitionem Sãctitatis ſu
receptos, etiamſi imperfectum habi
tum, aut ſine caputio gerant, po
præſentis Decreti in Romana Curi
publicationem, omninò eijcere de
beant.

Superiorem autem, qui huius De
creti tranſgreſſor extiterit, ipſo fact
pœnam privationis omnium officio
rum, quæ tunc obtinebit, vocis acti
væ, & paſſivæ; & perpetuæ inhabi
litatis ad alia impoſterum obtinenda
eo ipſo incurrere voluit, ac decrevi
& alijs etiam pœnis arbitrio Sancti-
tatis ſuæ imponendis ſubiacere.

Receptiones verò, & profeſſiones
quaslibet eorum, qui contra huius-
modi Decretum admiſſi fuerint, nul-

las,

s, & irritas esse ad quemcumque ef-
ectum, ex nunc decernit, & decla-
at.

Hoc autem Decretum noluit San-
titas sua eos ordines comprehen-
lere, qui Conventus, Domos & Mo-
nasteria à se probata pro Novitiorum
receptione, & educatione, hactenus
permissione sua constituerint.

Cæteras verò licentias, sive parti-
culares quæ in hanc diem effectum
non sunt sortitæ, revocat & annul-
lat.

Vult autem Decretum hoc suum
in solitis locis Urbis publicatum ita
prædictorum singulos afficere, ac si
cuilibet personaliter fuisset intima-
tum, privilegijs, statutis, & constitu-
tionibus quibuscunque in contrari-
um minime obstantibus. Datum
Romæ apud Sanctum Marcum
die 20. Mensis Iunij 1599.

FORMULA

Concedendi facultatem pro Novitÿs ad Regularem habitum recipiendis in Monasterÿs, & locis designatis.

SAnctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Clemens divina providentia Papa VIII. cum regularem disciplinam restituere, atque in pristinum statum revocare maxime cuperet, Regularesque omnes vitam, moresque suos ad rationem ejus instituti, quod quisque professus esset, ita componere, ut quæ ad votorum vim, habitum, victumque communem pertinent, ea potissimum singuli religiosissime observarent, generali Decreto, quòd de mense Iunij anni 1659. promulgatum fuit, Ordinum Religiosorum Superioribus (nonnullis exemptis) prohibuit, ne aut Novitios reciperent, aut quemquam ad professionem ante admitterent, quâm à Sanctitate sua monasteria aliquot

ad eam

ad eam rem præscripta essent, in qui-
bus observantia regularis vigeret.
Nunc verò eadem sanctitas sua à lo-
corum etiam Ordinarijs, quibus id
muneris demandaverat, certior facta
in infra scriptis Monasterijs, & Con-
ventibus Ordinis nostri præfinitum
esse numerum dumtaxat eorum, qui
vel ipsius Monasterij censibus, vel
consuetis eleemosynis sustentari ibi cō-
mode possunt, atque in ijs omnia fi-
deliter observari, quæ sunt cum illo-
rum professionis perfectione conjun-
cta, nempe castitatis, paupertatis,
& obedientiæ vota, una cum cæteris
decretis particularibus, vel instituti
ipsius, vel Pontificiis etiam ad victū,
vestitumq; communem spectantibus
(ipsi Decreto, ut supra edito, & pro-
mulgato, nequaquam obstante) po-
testatem facit Superiori ejusdem Or-
dinis Novitiatus in infrascriptis Mo-
nasteriis, & Conventibus erigendi,
Novitios recipiendi, educandi, atque
ad pro-

ad professionem admittendi, modo ta men id ad præscriptum instructioni jussu suæ sanctitatis editum, nequ alio modo fiat. Quoniam verò e est suæ Sanctitatis mens, & volunta ut in Monasteriis, & Conventibus ad alendos Novitios præfinitis, re gularis observantia perpetuò retine atur, mandat, & præcipit, ut in ipsi præscriptis jam personarum numeru imposterum servetur, nullusque omni nò Superior cujusvis conditionis, per sonarum, & Novitiorum numerun augere præsumat, ea pœna proposita ut in omnibus privatus officijs voci activæ, & passivæ jus omne amittat Vult denique Sanctitas sua hujusmod facultatem per Congregationem Re formationis Apostolicæ, hæc Decretc Secretarij manu subscripto concedi, non obstante decreto, ut supra pro- mulgato. Datum Romæ die, &c. Præscribitur verò numerus Sacerdo- tum. Clericorum Novitiorum Con- versorum autem. &c. N. VI-

VISITATIONIS, ET RE-FORMATIONIS APOSTOLICÆ, SECR.

Decretum super forma recipiendi Novitios Regularium ad habitum, & professionem.

SAnctissimus in Christo Pater & D. N. D. Clemens Divina providentia Papa VIII. qui alias pro Regularis disciplinæ restitutione, singulis Regularium Ordinibus (quibusdam exceptis) prohibuit ne ad Regularem habitum Novitios imposterum reciperent, receptosve ad professionem admitterent, quousque in aliquibus cuiusvis Ord. Monasterijs, seu Conventibus (in quibus Novitiatus pro recipiendis, & educandis Novitiis designarentur, & approbarentur) ad ejus, quam professi sunt, Regulæ præscriptum, vitam moresq; restituerent & componerent, certior deinde factus quosdam omnium fere Ordi-

Ordinum Conventus, ſeu monaſteria ad priſtinam illam regularem vivendi formam, & diſciplinam, quam diutius deſideraverat, fuiſſe redacta: in eiſdem Monaſteriis, & Conventibus, ut Novitiatus erigi, Novitiique recipi poſſent, (ſub certis tamen legibus, ac ea præſertim, ut licentia à Cong. Reformationis Apoſtolicæ prius obtenta eſſet) conceſſit, & ad illa deſignavit & approbavit, nunc volens, ut ea, quæ pro Novitiorum receptione, & inſtitutione, de mandato Sanctitatis ſuæ præſcripta fuerunt, imposterum accuratius, & exactius obſerventur, ultra formam traditam in Conſtitutionibus fel. rec. Sixti Papæ V. etiam Sanctitatis ſuæ ſuper receptione Novitiorum, decrevit, ac præſentis Decreti virtute mandavit, ne in Conventibus ſeu Monaſterijs ad Novitios recipiendos, de Sanctitatis ſuæ, ſeu dictæ Congregationis reformationis licentia hactenus deſignatis; & ap-

approbatis, ſeu impoſterum deſi-
nandis, & approbandis Novitij ad
abitum recipi ullatenus poſſint, vel
dmitti niſi prius ab ipſa Congreg:
el à proprijs locorum Ordinarijs, aut
ab illis, in quorum diœceſi Novitiatus
xiſtunt in quibus Novitij recipien-
i fuerint, expreſſe, & nominatim
Novitij ipſi recipiendi approbati fu-
rint, & ut recipi, & admitti poſſint,
icentiam in ſcriptis (gratis tamen
n omnibus etiam quoad ſcripturam
concedendam) obtinuerint, monet
utem Sanctitas ſua eoſdem Ordina-
rios, omnem curam, & diligentiam
adhibere, ut circa ætatem, conditio-
nem, educationem, ſcientiam, vitam,
& mores cæteraſque qualitates in ipſis
Novitijs requiſitas, obſerventur in-
ſtitutiones pro illis recipiendis ab e-
adem Congr: Reformationis factæ, &
publicatæ, neque aliter, nec alio mo-
do aliquem ad habitum recipi per-
mittant; Ordinariorum ipſorum cō-
ſcienti-

ſcientiam onerando, ſi quempiam approbaverint, vel admitti permiſerint, qui non ſit idoneus, & juxta conſtitutiones, & inſtitutiones prædictas, approbandus & admittendus. Firmis nihilominus remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quorumcunque Ordinum, qui in admittendis ad habitum & profeſſionem, Novitijs, formam conſtitutionum, & inſtitutionum prædictarum non ſervaverint, aut Novitium aliquem, quantumvis idoneum, & approbatum, in quovis alio Conventu, & loco, ſeu Monaſterio, præterquam in hactenus à ſua Sanctitate, vel à dicta Congreg: deſignatis, & approbandis, vel ultra numerum in eorum ſingulis præſcriptum, ſeu præſcribendum receperint, vel admiſerint, ſeu aliàs præmiſſis, quovis modo contrafecerint. Irritum ex nunc, & inane decernens quicquid ſecus, & alias, quavis auctoritate à quovis geſtum, vel attentatum fuerit.

t. Non obſtantibus quibuſcunque, c. Datum Romæ apud S. Petrum, ie 19. Maij 1602. Pontificatus eiuſ- em S. D. N. Anno undecimo.

nſtitutiones ſuper receptione, & edu- atione Novitiorum Religioſorum in Monaſterijs, & Conventibus deſigna- tis, vel deſignandis, Clementis e- juſdem juſſu editæ.

CUm ad regularem diſciplinam in ſingulis Religioſorum Mo- naſterijs propagandam, Novi- iorum inſtitutio maxime utilis ſit, ac neceſſaria, & nihil ad gravem illã, ac laudatiſſimam priſcorum Patrum vivendi rationem relaxandam majo- rem vim habuiſſe compertum ſit, quàm vel nimiam in recipiendis No- vitijs facultatẽ ſupra numerum, quem capere, atq; alere Monaſteria ipſa poſ- ſent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum ſpiritu, an ve- re eſſet ex Deo, atque ex præcipuo

illi inſerviendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque inſtituendis. Idcircò, ut huiuſmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, ut in recipiendis Novitijs, & in eorum inſtitutione, atque educatione, nec non in miniſtri, & aliorum miniſtrorum electione, præter alia, quæ in ſacris Canonibus, ac Decretis, præſertim Concilij Tridentini Pontificis, & cuiuſcunque Ordinis, aut inſtituti conſtitutionibus continentur, tam in aliàs deſignatis, quàm nunc, & inpoſterum ad hoc deſignandis Monaſterijs, & Conventibus, hæc quæ ſequuntur inviolate obſervari, & exequi perpetuò curent.

Primùm, quod attinet ad Novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquiſitionem, quæ habenda erit de uniuſcuiuſque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita antecta, ac præcipue eorum, qui

ſextum-

xtumdecimum ætatis ſuæ annum ex-
edent, an criminoſi, an ære alieno
ravati, vel reddendæ alicuius admi-
iſtrationis rationi obnoxij ſint, jux-
a formam conſtitutionis fel: rec:
ixti V. & moderationum ſubſecu-
arum. Illud etiã Superiores ad quos
pectabit, ſedulò perquirant, ut qui-
bus in Monaſterijs, & Conventibus,
ex Apoſtolica facultate Novitiatus fu-
erint inſtituti, in ijs ad Religionem
nullus inpoſterum admittatur, qui &
ex honeſtis parentibus natus non ſit,
& conditiones ſacris Canonibus, Sum-
morumque Pontificum conſtitutioni-
bus præſcriptas non habeat, juxta De-
cretum ſuper forma recipiendi Novi-
tios die 19. Maij 1620. editum.

Quiſque recipiendus in aliquo Or-
dine Regulari, etiam mendicantium,
in ea ſit ætate conſtitutus, quam eius
Ordinis, in quo recipietur, regularia
inſtituta, & ordinationes requirunt;
eam verò literarum ſcientiam calleat,

aut illius addiſcendæ ſpem in dubiai præferat, ut minores, & ſuis tempo ribus maiores Ordines, juxta decre ta Sacri Concilij Tridentini ſuſcipe re valeat. Sed ſi quis annum vige ſimum quintum excedens ad habitun regularem admitti poſtulaverit, & ta lis eruditionis expers inventus fue rit, in converſorum tantum, quibu literarum ſcientia non eſt neceſſaria numerum referatur, ipſi autem con verſi non recipiantur ante vigeſimum ætatis ſuæ annum; & niſi ſaltem præ cipua doctrinæ Chriſtianæ capita no verint.

Demum Superiores diligenter ex quirant, quo ſpiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus e legerint, quem ſibi finem propoſue rint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberiùs famulari poſſint, an potiùs levitate, vel humano aliquo affectu, aut inor dinato animo ducantur, & an eorum

paren-

[p]arentes ope, & ſubſidio ipſorum in-
[di]gentes deſtituantur.

Provideant quoque, ut omnes eti-
[a]m converſi recipiendi; priuſquam
[a]d habitum regularem admittantur,
[a]b ijs, quibus munus hoc incumbit,
[d]e regula, quam profeſſuri ſunt, tri-
[b]us votis eſſentialibus, ſtatuque re-
[g]ulari, & alijs cuiuſque Ordinis pe-
[c]uliaribus inſtitutis, & conſtitutioni-
[b]us diligenter inſtruantur. Et quia
[q]uarundam Religionum moris eſt,
[n]edum converſos ad profeſſionem ad-
[m]ittendos, verum & oblatos ut vo-
[c]ant, recipere, circa ipſorum oblato-
[r]um receptionem unaquæq; religio
[ſ]uas peculiares conſtitutiones, ſpeci-
[a]liaque inſtituta obſervare teneatur.

Statim atque novitij ad habitum
recepti, & in locum novitiatus in-
troducti fuerint, per generalem o-
mnium peccatorum confeſſionem to-
tius anteactæ vitæ conſcientiam di-
ſcutiant, & expurgent.

 Quòd

Quod verò ad loci qualitatem niuſcuiuſque novitiatus ſpectat, loc huiuſmodi propria clauſura ab ea pa te Conventus & Monaſterij,in qua d gunt profeſſi, ſegregatus ſit, atque d ſtinctus,habeatq; tot ad dormiendu cellulas ſeparatas, quot erunt num ro novitij,vel dormitorium ita capa ut pro ſingulis ſinguli lectuli comm de ſterni poſſint, in quo etiam cell la, vel certus ac determinatus loc pro Magiſtro, eiuſque ſocio reper atur.

In eo etiam, præter alias commu nes commoditates aptus locus adſit ſpirituales collationes, ſeu conferer tias faciendas, ac lectiones, inſtruct oneſq; Magiſtri audiendas, & in quer hyemis tempore ad calefaciendum igne communi recipiant.

Oratorium inſuper ſeu Capella, commode fieri poterit, ad novitic in ſpiritualibus, præſertim in ceremo nijs, Eccleſiaſticiſq; functionibus e xercendos.

Hor-

Hortus quoque peculiaris ad ho-
ſtam recreationem bene concluſus,
q́ue munitus adſit, ſin minus, hor-
m cæteris Fratribus communem re-
eationis tēpore ingrediantur. Ipſis
erò novitijs ibi commorantibus, cu-
ibit Magiſter cum loci Superioris
uctoritate (ſi opus fuerit) ne in eun-
em quiſquam alius ingrediatur.

Ad huiuſmodi locum Novitiatûs
emini eiuſdem, vel alterius ordinis
egulari etiam Conventus, & Mona-
terij Officiali, ullo unquam tempo-
e ſub quovis prætextu aditus pate-
at, præterquam Magiſtro, ejuſque ſo-
cio, ac etiam Monaſterij, aut Conven-
tus Superiori, ſi quandocunque in-
grediendum ſibi neceſſariò exiſtima-
verit, quo tamen caſu aliquem ſem-
per ex ſenioribus Conventus, vel Mo-
naſterij Patribus ſocium aſſumat.

Huius loci clauſuræ clavis apud
Magiſtrum ſemper aſſervetur, illiq́ue
ſoli liceat ex gravi tantum cauſa in-

gressum illuc alicui permittere: quis autem novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præsente & non aliter alloquatur.

Novitiorum Magistro socius, si pe novitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) consimilis deputetur, qui in his, quæ ad novitiatus regimen spectant, dicto Magistro immediate subiectus existat eliganturque tam Magister, quâm socius per Provinciale Capitulum, per triennium ad minus onus huiusmodi subituri. Quòd si aliquo casu extra tempus capitulare nova loca novitiatus concedi contingat, tunc electionem magistri novitiorum, & socij huiusmodi in his novis locis per Generalem, vel Provincialem, seu ministrum, aut eorum visitatores, seu Vicarios, de Definitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum consensu fieri permittatur: idemq; servetur, si in-

i intra triennium, alterum, vel u-
rumque urgenti aliqua de cauſa ex
llis locis amoveri, vel mori contige-
rit, in cuius, vel quorum locum alij
conſimiles ſubrogari debeant.

Tàm novitiorum Magiſter, quâm
ſocius ab ijs omnibus officijs, oneri-
buſq; vacationem habeant, quæ no-
vitiorum curam, & regimen impe-
dire valeant. Ipſe Magiſter ſacerdo-
tali ordine ſit initiatus, ac in quinto
ſaltem ſuprà trigeſimum ætatis ſuæ
anno conſtitutus, & per decennium
à profeſſione emiſſa in Religione per-
ſtiterit: ſocius verò trigeſimum an-
num excedat, ſintq; ambo doctrina,
& quantum per Superiorum diligen-
tiam, & vires fieri poterit, vitæ eti-
am anteactæ exemplo præſtantes, o-
rationis præterea, & mortificationis
operibus addicti prudentiâ, charita-
teque referti, non ſine affabilitate gra-
ves, zelum Dei cum manſuetudine
præſeferentes: ab omni cordis, ac

animi perturbatione ira præſertim, & indignationis, quæ in ſe, & erga alios charitatem impedire conſueverũt quam longiſſime alieni, & tales demum, qui in omnibus ſeipſos bonorum operum exemplum præbeant, ut ij, qui eorum curæ ſubſunt, illos non tam metuant, quâm revereantur, nec illis unquam detrahere quicquam poſſint.

Habeat etiam Magiſter plenam, & abſolutam poteſtatem, circa Novitiorum inſtitutionem, ac Novitiatus regimen, ita ut in illis nemini (Viſitatoribus ac Superioribus majoribus vel etiam localibus exceptis) quovis colore ſe ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, ut Novitij omnes in regulari diſciplina ſedulò exerceantur, agnoſcantque præcipue divinæ, qua digni facti ſunt vocationis præſtantiam & excellentiam, quæ vera ſit, atque perfecta votorum ſolennium, & quam neceſſaria

cujuſ-

cujusque Ordinis Constitutionum observantia modum in oratione, tum vocali, tum mentali fructuose persistendi, illicitas passiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona est, atque proclivìs) per sensuum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, jejunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis præsertim, quæ bis saltē singulis mensibus fiat, per apertionem quotidianam motuum internorum, cordis, & tentationum manifestationē, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumq; silentiū.

Quilibet Novitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro præscriptum, ac pluries in die propriam conscientiam unusquisque exami-

examinare contendat. Ipſi autē Magiſtro ſoli Novitiorum confeſſiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, ſi ita expedire judicaverit, vel per ſeipſum vel per alium ab eo deputandum, ſemel aut bis in anno eorundem Novitiorum confeſſiones audire.

Quotidie Miſſæ ſacrificio interſint & ſtatutis horis in Choro nocturnis diurniſq; divinis Officijs aſſiſtant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel ſcribant res ſpirituales, modeſtam animi recreationem interponant, quæ in ſolitario loco, & commodo extra Novitiatum ſemel in hebdomada, vel in alternis ſaltem hebdomadibus longior ſtatuatur, fiatque ſemper Magiſto præſente vel ſocio, qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur disjuncti atque eo tempore, cujuſque, in quam natura feratur; propenſionem ſcrutentur.

Non

Non liceat eis, durante Novitia-
ıs, & probationis tempore, una cum
rofeſſis, niſi in Choro, in Eccleſia
mpore officiorum, in proceſſionibus
ıt in cœnaculo cauſa refectionis cõ-
ıorari, nec permittatur eis Profeſſi-
nis domo exeuntes comitari.

Pro communibus, & proprijs cujuſ-
ue neceſſitatibus, quæ accidere poſ-
ınt, unus ex novitiis ipſis, ætate,
ıoribuſque provectior deputetur, qui
bſente ſocio, Magiſtro permittente,
mnia prout opus fuerit, agat, cui e-
iam januæ cuſtodia, & rerum levi-
ris momenti proviſio intra Noviti-
tum committi poterit.

Cum autem, licet Clericorum bene
nſtituendorum cura debeat eſſe præ-
cipua, Converſorum tamen Religioſa
inſtructio non ſit prætermittẽda, quin
potius æquaminiter amplexãda, quã-
doquidẽ ſatis exploratum eſt, illorum
etiam, cum regulam profiteantur ean-
dem, perfectam educationem, tu

Religi-

Religioni decorem, & ornamentum, tum alijs Chriſti fidelibus ædificationem, exemplum, atque utilitatem afferre. Converſis ipſis à Clericorum Novitiatu ſeparatus ad dormiendum locus (quantum commode fieri poterit) aſſignari præcipitur. Illi tamen hac ſeparatione non obſtante Magiſtro Novitiorum, ſeu Superioribus Monaſteriorum, & Conventuum iuxta cujuſque Ordinis Statuta, & Conſtitutiones ſubditi eſſe, & obedientiam præſtare, debebunt, à quo non tantùm circa corporalia obſequia probandi, & exercendi, verûm etiam pro eorum capacitate, & commoditate, de ſpiritualibus, præſertim de modo mentaliter orandi, diligenter inſtituendi erunt, quod ut commodius fiat ad Capitula, & ſpirituales Conciones quæ per Magiſtros Novitijs fieri ſolent, accerſiri debeant, & in Eccleſiis ſtatutis horis conveniant, niſi tunc in ſuis officijs actualiter occupati fuerint. Tem-

Tempore verò probationis elapso,
tantùm, qui non solùm Religiosæ
rfectionis capaces: sed ad laborem
rporalem apti novo, ac diligenti
amine reperti fuerint (dummodo
atis suæ annum quoad Clericos de-
numsextum, quo verò ad Conver-
s, vigesimum primum excesserint)
professionem admittantur. Sed
ui ad Conversorum habitum recepti
erint, ad Clericorum statum tran-
re, etiam durante tempore proba-
onis, non possint.

Superior cuiuslibet Conventus, in
uo Novitiatus fuerit constitutus par-
icularem librum habeat, in quo uni-
scuiusque Novitij professio registre-
ur, illamque Novitius professus pro-
pria manu, & duo testes, qui præ-
entes fuerint, subscribant.

Conversus verò literarum ignarus,
professus, in eorundem, testium, qui
se subscripserint, præsentia propria
manu signum Crucis apponat, asser-
vetur-

veturque liber, & cuſtodiatur in Archivio, ubi ſcripturæ ad Monaſterium ſeu Conventum pertinentes reponi conſueverunt.

Quia verò in quibuſdam Ordinibus filiationis uſus eſt receptus, declaratur, quòd licet decretum ſit, ut novitijs educandis certa Monaſteria aut Conventus deſignata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen ſit Superioribus Monaſteriorum, & Conventuum huiuſmodi Ordinum, in quibus filiationis uſus receptus eſt, eos quos prænarratis qualitatibus ſuffultos repererint, in ſuorum locorum filios, juxta cuiuſque Ordinis conſtitutiones adſcribere, ſicque adſcriptos, cùm iuxta præſentes inſtitutiones, & aliàs, ſervatis ſervandis, ad Ordinem recepti fuerint, ad loca novitiatuum cum teſtimonialibus literis tranſmittere, ut tamquam dictorum Conventuum, ſeu Monaſteriorum filij, eorundem nomine, & inſtantiâ recipi, ac in No-

Novitiatu probari, & deinde, an-
quam ad eadem Monaſteria, ſeu
onventus filiationis huiuſmodi re-
ittantur, in profeſſorio ad perfecti-
nem, ut permiſſum eſt, exerceri de-
ebunt.

Porrò, ne loca unius Monaſterij,
eu Conventus ab alio præoccupen-
ur, Capituli Generalis, aut Provinci-
lis partes erunt, numerum præſcri-
ere pro omnibus, & eam ſimiliter
ationem circa alimentorum contri-
utionem (ſi opus fuerit) inire, ac
ſingulis Conventibus, & Monaſterijs
præſcribere, quæ magis expedire vi-
debitur.

Ut autem Novitij jam in Profeſſo-
rum numerum (ſicut præmittitur)
recepti meliùs in bono ſpiritu, regu-
lariſque diſciplinæ obſervantia ſtabi-
liantur, & confirmentur, mandatur,
ut ſtatim profeſſionem emiſſam, ſi in
Conventibus, ac Monaſterijs pro no-
vitiatibus aſſignatis locus aderit ſe-

 cundi

cundi novitiatus, sive professorij ab ea, quæ Novitiorum est, atque antiquorum Professorum habitatione distinctus, & segregatus, ibi collocentur, si Monasterium, aut Conventu[s] eos alere queat, sin minus, in alium commodiorem Conventum, aut Monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad novitiatum supra narratis recipiatur, vel accommodetur, aut de novo construatur.

Ad hoc tamen illæ religiones excipiuntur, quæ suarum constitutionum, seu institutorum vigore majoris temporis cursu novos professo[s] intra Novitiatum detinere consuescunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, ut prædictis earum constitutionibus non obstantibus, idipsum facere possint, si id rationi, ac Religioni magis expedire dijudicaverint, quibus in locis degant sub Regulis, & modo vivendi adhuc arctiori, quam servent

anti-

tiquiores professi, ita quod in negotijs Monasteriorum, aut Conventuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque icuius exterioris obedientiæ officim exercere debeant, ibique permaeant quousque ad ætatem sacris Orinibus suscipiendis sufficientem deenerint, vel saltem per triennium ost professionem, quo etiam tempoe poterunt, quinimo, & debebunt literarum, studijs operam navare sub irectione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus novitiorum Magistrum præditum esse oportere dictum est.

Declaratur tamen, quod propter præmissa non censeatur concessa licentia recipiendi novitios, nisi in locis pro novitiatu designatis, aut in posterum designandis, & pro numero duntaxat in eorum singulis præscripto, vel præscribendo.

Denique si illi, qui inter Religiosos

osos gradu, & ordine Superiori sunt & alij, ad quos spectat, in prædicti omnibus, vel eorum aliquo delique rint, seu quovis modo contrafecerint officiorum omnium, quæ tunc obti nebunt, privationem, graviores&qu pro modo admissæ culpæ pœnas, s subituros certò sciant. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 19 Martij 1603.

DUBITATIONES AD HOC DECRETUM.

Quæres I. An in quolibet Conventu recipi Novitij possint Respondeo propter Decretum *Clementis VIII.* innovatum à Sacra Congregatione *Concilij* sub *Urbani VIII.* non posse Religiones (quibusdam exceptis) & supra expressis, intra *Italiæ & Insularum adjacentium fines in* Novitios aliquos recipere, nisi in Cõventibus auctoritate Apostolicà approbatis, receptionesque, & professio-

ssiones aliter factas, irritas omninò se, & transgressores varias pœnas incurrere. Item postea, propter *Motum proprium*, seu *Breve Urbani* editum *11. Apr: Anno 1632.* habetur, os, qui in Conventibus non approbatis Novitiatum jam pridem non fecerant, de novo admitti posse ad professionem sine novo Novitatu, etiam in eadem antiquitate, & jure, sicut priùs erant. Constat etiam, quòd cùm Sacra Congregatio cerneret plures Regulares ab Ordinarijs locorum habitûs, & professionis relaxationem postulare, sub prætextu quod Novitiatum non gessissent in Conventibus à Sede Apostolica designatis, ipsique Ordinarij facile prædictam relaxationem illis sæpiùs concederent, ideò huic malo obviare intendens Sacra Congregatio *Concilij* sub anno 1636. statuit, quòd si aliqui contra formam prædictorum Decretorum recepti, & professi e Religione infra quinquennium

nium

nium exire, vel Superiores extra ea
reſpective illos eijcere voluerint, a
nuente Sanctiſſimo, tam ipſi profeſſ
quàm Superiores reſpective tenean
tur jura, quæ ſibi favere viſa fuerin
priùs deducere coram eadem ſacr
Congregatione, quæ ex ſpeciali eti
am ſuæ Sanctitatis facultate ſuper ho
conceſſa providebit. Inhibendo præ
terea Primatibus, Patriarchis, Archi
epiſcopis, Epiſcopis, & ſacræ Roma
næ Eccleſiæ Cardinalibus, etiam d
latere legatis, ſediſq; Apoſtolicæ Nun
cijs, ne impoſterũ in hoc quoquomod
ſe ingerant, abſque ſpeciali eiuſder
Sanctitatis commiſſione, ſub pœn
ipſo facto incurrenda, quoad Epiſco
pos, Archiepiſcopos, Patriarchas, &
Primates interdicti ab ingreſſu Eccle
ſiæ, quoad Abbates, Prælatos inferi
ores, ac alios Iudices prædictos ex
communicationis latæ ſententiæ, quo
verò ad Nuncios, & ad ſacræ Roma-
næ Eccleſiæ Cardinales, etiam de la-

tere

re legatos, indignationis suæ San-
itatis, & pœnarum arbitrio eiusdem
nponendarum. Item ibidem pro
naiori cautela, contra delinquentes
tatuit, ac decrevit, quòd si ijdem,
it supra, recepti, & professi, juribus
uis minime deductis coram sacra Cō-
gregatione *Concilij*, & sine illius ex-
presâ licentiâ e Religione exire, vel
Superiores religionis eos eijcere au-
si fuerint, ipsi recepti, & professi tan-
quam Apostatæ puniantur, & pro ta-
libus habeantur, nec non contra eos-
dem juxta formam Decreti de Regu-
laribus apostatis, & ejectis proceda-
tur, & Superiores, qui ejecerint pœ-
nam suspensionis à divinis, nec non
privationis omnium officiorum, quæ
tunc obtinebunt, ac perpetuæ inha-
bilitatis ad ea imposterum obtinen-
da, vocisque activæ, & passivæ ipso
facto absque alia declaratione incur-
rant. Extat etiam aliud Decretum
ejusdem sacræ Congregationis eodem

anno 1636. ſubſcriptum ab Eminentiſſimo Cardinali *Veroſpio*, & Iluſtriſſimo Domino *Paulucio*, Secretario apud *Novarium in lucerna Regularium* in fine, in quo ſtatuitur, prædictos qui habitum, & profeſſionem in locis non deſignatis non habuerint, audiri non poſſe tranſacto quinquennio

Nota autem intentionem Sanctiſſimi in eo *Brevi ſeu Motu, proprio* eam proculdubio fuiſſe, ut prædicti Religioſi, qui Novitiatum Conventibus non deſignatis egerant, non egrederentur, aut eijcerentur à Religionibus, ſed potiùs profeſſionem ratificarent. Hoc enim colligitur, tum ex ipſo *Brevi* ſeu *Motu proprio* in princio ubi ratione ipſius concedendi, ait Pōtifex, *ut in vocatione, quà vocavit eo. dominus, permaneant*. Tum quia præcipit Superioribus, ut prædictos Religioſos ad profeſſionem denuò emittendam admittant. Tum quia, ut ad id eos alliciat, poſt ratificatam

profeſſi-

rofessionem, præcipit restitui ad pro-
ria jura, & habilitates, quas primò
abebant, ac si prior professio fuisset
alida. Tum denique, quia propter-
a sacra Congregatio in decreto rela-
o, prohibet facilem egressum dicto-
um Religiosorum. Nec obstat, quòd
alium professiones fuerint irritæ, &
ullæ, ut constat ex decretis addu-
ctis. Ex eo enim, quòd irritæ fue-
rint, solùm sequitur teneri eos, quia
ita professi sunt, etiamsi id omninò
occultum fuerit, professionem denuò
facere, ut illis conceditur in prædi-
cto *Brevi*, aut *Motu proprio*, vel si no-
lint id facere, causam prosequi in ju-
dicio. Ubi si nihil effecerint nec
professionem suam ratificaverint, e-
runt in peccato mortali, & maximo
detrimento suæ conscientiæ, usurpan-
do bona Religionis quæ sunt propria
Professorum, qualia sunt primò, ali
reditibus & eleemosynis Religionis;
secundò, posse confiteri peccata sua

 sacer-

sacerdoti approbato solùm à Superiore Regulari, & non ab Ordinario tertiò frui privilegijs, veris Professi tantùm concessis.

Quæres II. Quæ informationes fieri debeant â Regularibus, antequ. admittant Novitios ad habitum Religionis? Respondeo, extare desupe Constitutionem *Sixti V.* in ordine 7 his verbis. *Perpetuo statuimus, & ordinamus, juvenes aut viros adultos majores 16. annis, non aliter, in aliquam Religionem recipi posse, ne debere, nisi prius de eorum Parentibus Patria, dequè anteacta vita diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum, & exploratum sit, eos nequ aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia aut graviora, reos vel suspectos existere, ut propterea damnati sint, aut ne damnentur, formident, neq; ingenti ære alieno supra vires faculta-*

tum

um ſuarum gravatos, vel reddendos tiociniys ita obnoxios, ut ex hujus-nodi cauſa, lis vel modeſtia eis jam llata, vel timendum ſit, ne inferatur: iſi deniq; conſtet, ipſos non humana liqua ratione, ſed tantum devotionis & pietatis fervore vitam Religioſam ponte & ex animo elegiſſe, deniq; his omnibus in Generali, vel Provinciali Capitulo plena, indubitata fide facta tam Superioris, Generalis, ſeu Provincialis, quàm Definitorum conſenſu approbati, & ad habitum Regularem admiſsi fuerint; omnes autem & quoſcunq; ut dictum eſt, & criminoſos vel ſuſpectos, aut æri alieno, ut etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad Religionem perpetuò inhabiles declaramus. Ita Sixtus V.

Quæres III. An iſtæ informationes ſumi debeant de quocunque potente admitti ad Religionem? Reſpondeo. Non debere ſumi, niſi de juvenibus ſæcularibus, qui ſunt majores

jores 16. annis, & tunc primò fiur
Religiosi. Unde fit, ut Religiosu
ab uno Ordine transiens ad alium
non habeat opus præmittere dicta
informationes, utpote quæ probabi
liter possunt supponi factæ, quando
admissus est in priorem Ordinem
siquidem Bulla *Sixti V.* clare loqui
tur de solis juvenibus sæcularibus pri
mò receptis ad habitum Ordinis, &
cùm sit odiosa, non debet extendi a
casus in ea non comprehensos.

Quæres IV. An præfatæ informa-
tiones sumi debeant, si admittendu
aliunde cognoscitur sufficiens quoad
omnes conditiones? Respondeo ne
gative, Ita *Suarez Tomo 4. de Re
lig. trac. 10. lib. 2. cap. 3.* Ratio est
quia cessat finis Constitutionis *Sixt.
V.* adeoq; cessat ejus obligatio. Præ-
terea, *quæ clara sunt, examinatione
non indigent, cap. manifesta, 2. quæst.
1. Et in notoriis juris ordinem non
servare, ordo est. cap. Ad nostram. de
jurejurando.*

Quæ-

Quæres V. An prædictæ informa-
tiones debeant esse juridicæ, nimi-
rum factæ, per duos aut tres juratos,
qui jurent talem recipiendum in No-
itium, non habere aliquid ex im-
edimentis allatis? Respondeo quòd
sic. Quia aliàs non facerent fidem,
ut probarent intentum; *cap. tuis &
apit. nuper de testibus. Suarez Tomo
. de Relig. Miranda Tomo 1. Manual.
. 21. a. 1. Rodriquez Tomo 3. quæsti-
num Regul. q. 10. a. 13. & alij.*

Quæres VI. An professio sit irrita
ad habitum receptorum conditioni-
ous dictis non servatis? Respondeo.
Ita quidem declarasse in prædicta sua
Constitutiones *Sixtum V*: postea ta-
men *Clemens VIII. Anno 1602.* illam
reduxit ad terminos juris communis,
salvis semper pœnis contra transgres-
sores inflictis, ideò licet professio se-
cuta sine illis valida sit, Prælati ta-
men illam dantes incidunt in pœnas
â *Sixto V.* positas; videlicet in pri-
vatio-

vationem vocis vtriusque, dignitatum, honorum, & inhabilitatem ad hæc perpetuam.

Quæres VII. An ad hoc, ut aliquis ex vi Bullæ *Sixti V.* excludatur à Religione tanquam criminosus, sufficiat præcise quòd commiserit crimina recensita in ea Constitutione? Respondeo negative, sed requiritur ut constet actis publicis, Iudices, & Curiam sæcularem, ante susceptionem habitûs de ipso crimine adversus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse. Ita enim habet ipse *Sixtus V.* in alia Constitutione, quæ incipit *Ad Romanum Pontificem* 12. Calendas Novembris Anno 1588. data. Quamquam si quis per calumniam fuisset injuste inquisitus de aliquo gravi delicto, si postea constaret illum fuisse innocentem, non ideò excludendus esset à Religione, cùm talem casum non comprehendat Constitutio *Sixti V.* Idem proporti-

onali-

aliter putat asserendum cum plu-
ius DD. *Pellazarius Trac: 2. cap: 3.*
n. 9. in casu, quo quis juridice de
licto convictus, & ad pœnam da-
natus, illam jam implevit, & tam
Reipublicæ, quàm parti læsæ satisfe-
;intentio enim Papæ solùm est præ-
vere, ne colore Religionis, crimi-
osi maneant impuniti. Addit *Suar:*
mo 3. de Relig: c. 7. n. 19. non de-
re excludi à Religione eum, qui
ommisit reverà aliquod ex ijs deli-
is, & de eo inquisitus juridice, illud
egavit, sicque fuit absolutus. Ra-
o est, quòd ejusmodi delictum in
is circumstantijs reputatur occul-
um, & accusatio, aut inquisitio, cum
am per absolutionem sit terminata,
perinde est ac si non præcessisset.

Quæres VIII. An in præsens ne-
cesse sit ad Novitiorum receptionem
fidem dictam facere in Capitulis Ge-
neralibus, seu Provincialibus? Re-
spondeo, quòd non. Tum quia ipse-
met

met *Sixtus* in sua Constitutione alt
ra supra citata concessit, ut sumpt
debitis informationibus Novitij r
cipi possint ad habitum quocunqu
tempore à tribus deputatis per Cap
tulum Provinciale, aut etiam local
Tum quia ad talem effectum in quo
libet Ordine juxta proprias Const
tutiones, varia privilegia Regular
bus concessa sunt.

Quæres IX. An casu, quo Novit
us recipiendus interrogetur de aliqu
defectu gravi, & forte etiam non pa
rùm infamatorio, teneatur eum No
vitius pure ac sincere aperire? R
spondeo quod sic. Ratio est, qui
sicut, si quis velit cum alio conven
re in emptione equi v. g. & eiu
conditiones inquirat, tenetur ve
rum fateri, ita & in casu nostro, ho
ipso, quòd Novitius recipiendus vul
quasi pactum inire cum Religione
quam intendit ingredi, ideoque vo
luntarie se subijcit examini, juste in

terro-

rrogatur, ac proinde tenetur fate-
veritatem, alioquin dari posset quasi
ellum ex utraque parte justum,
uod negant DD. communiter, nisi
n casu ignorantiæ probabilis, quæ
amen in præsens locum non habet.
ta *Suar: Tomo 4. de Relig: Tract: 10.
b: 2. c. 3. &c.*

Nec obstat, quòd nemo teneatur
etegere propriam turpitudinem, se
psum infamando, siquidem in nostro
asu, nulla vel certe levis sequitur
nfamia cùm is, cui modo dicto de-
egitur defectus, vi secreti naturalis
non possit illum alteri manifestare, &
lias infamatio, quæ fit apud unum,
ut alterum tantùm, qui perinde se
habebunt erga infamatum, ac si nihil
cirent, non censetur notabilis, ut do-
cent apud *Lessium lib: 2. cap: 11. d.
11. Navar: Cajet: Cordub.* Et si esset
notabilis, debet postponi communi
bono Religionis, quod sine dubio præ-
ferri debet famæ personæ privatæ.

Præterquam quòd volenti, & consentienti, non fit iniuria, qui autem vult & petit admitti ad Religionem, sponte se subijcit huic incommodo detegendi proprios defectus, sicque cedit juri suo, juxta illud, *qui vult finem, vult consequentia ad finem.*

Quæres X. An interrogatus de moribus novitij recipiendi; possit detegere defectus illius graves? Respondeo. Posse imò & teneri. Quia nemo habet jus tuendæ famæ cum damno gravi alterius inde injuste consequenti. Ita in terminis *Lessius sup. D. 9. n. 59.*

Quæres XI. An possint admitti ad Religionem, qui sunt onerati debitis? Respondeo cum distinctione. Vel debitor est impotens ad solvendum tum in re, tum in spe, & sic potest admitti ad Religionem, cùm inanis sit actio creditoris, quam excludit inopia debitoris, & debitor in tali statu perinde excusatur à solutione de-

biti,

ti, ac ſi nihil deberet. Vel debi- r non habet quidem actu unde ſol- it, probabiliter tamen ſperatur fo- , ut manens in ſæculo acquirat bo- , quibus ſolvat, & tunc probabile t, hunc non poſſe admitti ad Reli- ionem, cùm præceptum naturale ſol- endi præferri debeat conſilio ingreſ- us Religionis, & nefas ſit quærere icrum ſpirituale cum præiudicio rtij.

Quæres XII. An furioſi, ac mente apti poſſint admitti ad Religionem, c in illa valide profiteri? Reſpon- eo negative. Cùm non habeant ufficientem libertatem, aut diſcurſum d vovendum. *Sylveſter verbo Reli- io.* Adde, in eo caſu non poſſe ex- eriri rigorem Religionis, quod eſt inis Novitiatus.

Quæres XIII. An poſſint admitti ad Religionem filij, qui habent parentes gravi egeſtate laborantes? Reſpondeo non poſſe, ſi aliunde parentibus

tibus ſuccurri non poſſit. Ita *S. Th*
mas 2. 2. q. 101. a. 4. Suar: Tomo
de Relig: lib: 5. alijque communite
Ratio eſt, quia propter opera conſili
non debet prætermitti præceptu
divinum, & naturale, at filius tene
tur ex præcepto naturali ſubveni
parentibus, ergo &c.

Quæres XIV. An poſſint & deb
ant recipi in Religionem novitij i
ſcijs,. & invitis eorum parentibus
Reſpondeo. Poſſe, imò & in aliqu
caſu teneri ex charitate, quamvis r
gulariter non expediat, præſertim
parentes ſint viri potentes, qui gr
via damna ideo Religioni inferre po
ſint, quo caſu præferri ſine dubio d
bet bonum totius Religionis, bon
privato particularis novitij. Cœt
rùm reſponſio noſtra patet, quia ſ
nulla fit injuria parentibus, cùm fil
in electione ſtatûs ſint liberi, & null
ratione ſubijciantur voluntati pare
tum, ut colligitur ex *S. Thoma 2.*

104. a. ult. Unde S. Bernardus cap: 1. ait: Sola causâ, quâ non liceat edire parentibus Deus est, ipse enim cit, qui amat patrem, aut matrem us quàm me, non est me dignus. Quò cit etiam illud D. Hieronymi ep: 1. d Heliodorum. Licet parvulus pen- eat ex collo nepos, licet sparso crine, scissis vestibus ubera, quibus te nu- ierat, mater ostendat licet in limine ater jaceat, per calcatum perge Pa- rem, siccis oculis ad vexillum crucis vola, solum pietatis genus est, hac in e esse crudelem. Quòd verò filij ali- uando debeant recipi ad Religio- em invitis Parentibus, hinc constat, quòd quis potest in eo statu versari, t non possit moraliter vitare æter- nam damnationem, nisi ingrediendo Religionem, idque ob naturæ suæ proclivitatem ad malum, ob immi- nentia pericula, & animæ & corpo- ris, ob frequentes occasiones peccan- di, cui utique ex charitate tenemur

 consu-

consulere, cùm unicuique mandaverit DEus de proximo suo.

Quæres XV. An admitti possit ad Novitiatum, qui matrimonium contraxit, & simul consummavit? Respondeo. Non posse, nisi adsit consensus alterius Coniugis. Quia secluso tali consensu eiusmodi admissio directe repugnat cum usu matrimonij, quem alter conjux licite potest exigere, & consequenter continet manifestam injuriam, & sic ex natura rei est illicita & invalida.

Quæres XVI. An si alter conjux dedit alteri facultatem ingrediendi Religionem, possit eam ad libitum revocare ante Professionem? Respondeo posse. Et probatur. Quia in proposito casu, coniux, qui ingreditur Religionem, potest sua sponte exire ante Professionem, & ad alterum redire, qui tenetur illum recipere, & vitam maritalem cum eo agere, ergo & ipse potest alterum revocare,

& ipsi

& ipsi tenetur parêre, jura enim debent esse paria, & uterque intelligi debet esse pro eo anno in probatione, an sibi expediat, perpetuò ab alio separari. Ita *Suar: Tomo 3. de Relig: lib: 5. c. 3.* oppositum tenet *Peyrinis de Rel: Præl: q. 3. c. 1. num: 52. tum ex Regula 21. in 6. Quod semel placuit, amplius displicere non potest*, tum quia licentia ingrediendi Religionem data alteri conjugi, respectu illius est quidam favor, & privilegium, dans autem privilegium, non potest illud revocare, nisi in casu abusûs, qui non adest in casu nostro.

Quæres XVII. An possint admitti ad Habitum Religionis coniuges, si consummato matrimonio alter illorum adulteretur? Respondeo. Posse, si adulterium sit notorium, cum hac tamen differentia, quòd conjux innocens potest admitti altero invito, utpote liberatus à debito conjugij ob

adulterium ab altero perpetratum, juxta *cap: ſignificaſti, de divortio, & cap. fin: de adult.* Conjux verò nocens, non poteſt admitti invito altero coniuge innocente, cùm enim divortium ſit in favorem innocentis, non debet inde privari dominio, quod habet ſuper conjuge nocente, alioqui puniretur ſine culpa.

Quæres XVIII. An illegitimi ſint incapaces habitûs, & Profeſſionis regularis? Reſpondeo negative, niſi peculiares Religionum Conſtitutiones obſtent. Quia licet *Sixtus V.* in ſua Conſtitutione *Cùm de omnibus* prohibuerit hos ad Religionem admitti, & profeſſionem fore irritam declaraverit, tamen *Gregorius XIV.* in ſua Conſtit. *Circumſpecta* oppoſitum ſtatuit, certis tamen conditionibus appoſitis, quas ibi vide.

Quæres XIX. An poſſint admitti ad Religionem, qui præ morbo, aut ſenectute non poſſunt obſervare regu-

lam proprij Ordinis? Respondeo non posse. Tum quia turpis est pars, quæ non congruit suo toti, quod tamē eveniret in casu nostro, tum quia profitens in Religione promittit observare regulam, & Constitutiones sui Ordinis, quomodo autem id promittere potest, qui certò scit se fore ad hoc impotentem Novitiatus autem ordinatur ad Professionem.

Quæres XX. An Infames, histriones, carnifices, satellites, &c. ad Religionem recipi debeant? Respondeo negative. Quia sunt infames, vel quasi infames, & non decet Religionem similibus deturpari.

Nec illiterati ad statum Clericorum recipiendi sunt, nisi ea saltem sciant, quæ ad Divinum Officium recte persolvendum requiruntur.

Quæres XXI. An admitti possint ad Religionem Episcopi? Respondeo. Non posse sine licētia Papæ. Tum quia ita expresse definivit *Innocen: III. in*

cap. Nisi cum pridem de renuntiatione. Tum quia status Episcoporum altior est statu Religiosorum, & ita ab illo ad istum non est transitus sine dispensatione Summi Pontificis. Prælati autem Episcopo inferiores ad Religionẽ admitti possunt propter oppositam rationem. *S. Thomas 2. 2. q. ult: a. 7. Suar: 3. Tomo de Relig: lib: 5. c. 4. &c.*

Quæres XXII. An sit de essentia Novitiatus, ut peragatur intra Monasterium? Respondeo. Esse. Tum *ex cap: 1. de Reg: in 6.* ubi dicitur. *Quod si per totum annum sequentem in Monasterio permanserit.* Tum ex quadam declaratione sacræ Congregationis relata à *Sanchez lib: 5. in Decal: c. 4. n. 27.* Tum quia Novitiatus ad eum finem est institutus, ut & Novitius experiatur asperitates Religionis, & Religio sumat experientiam morum ipsius, quod obtineri non potest, si Novitius Novitiatum extra Monasterium peragat.

Quæ-

Quæres XXIII. An de licentia Prælati possit peragi quædã pars Novitiatus extra Monasterium? Respondeo. Posse. Quia Conversi Novitij, v. g. non possunt experiri præcipuas austeritates Ordinis, nisi exerceantur in quæstuando, etiam extra Civitatem, quod utique supponit illos per plures dies pernoctare, & commorari extra Conventum.

Si autem quæras, per quantum tempus manere possit Novitius extra Conventum? Respondeo non convenire, DD. siquidem *Navar. conf.* 32. *de Regul.* concedit Novitium de licentia Superioris posse degere extra Conventum per 6. menses *Azor Tomo 1. lib. 12. c. 2 q. 8.* admisit hoc pro toto anno Novitiatûs. Alij apud *Sanchez* non cõcedunt nisi duos menses. Alij cum *Diana de Dub. Regul. resol.* 84. assignant majorem partem anni, unde patet tale tempus iudicio prudentis definiendum esse, spectato impri-

imprimis fine, ad quem institutus est Novitiat9, qui est, ut Novitius experiatur Ordinis asperitates, quas minùs bene experiri potest, extra Cõventum.

Quæres XXIV. An sit de essentia status Religiosi, ut peragatur in peculiari habitu Religionis susceptæ? Respondeo affirmative, nisi aliud constet ex Regula Ordinis alicuius à Papa approbata. Probatur. Tum quia in *Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 15.* id videtur expresse decidi, dum statuit annum Novitiatus ad valorem professionis numerandum esse à die susceptionis habitûs; Tum quia in ipsa delatione habitûs Religiosi adest quædam austeritas, quæ inter experimenta Religionis recensetur, ideóq; necesse est ut Novitius hoc experiatur.

Quæres XXV. An sit de essentia Novitiatûs, quod duret per annum integrum, & hunc continuum, non autẽ interpolatum? Respondeo quod sic. Quia is annus præscribitur, ut Novitius

tius integre ac perfecte experiatur a-
ſperitates Religionis, at inter alia non
infimum locum tenet, quod eas per-
ferat ſine intermiſſione, ut vel hinc
patet, quòd difficiliùs eſt jejunare 40.
diebus continuis, quàm interpolatis.
Ita *Sanchez lib. 5. in Decal. c. 4.* ex
communiſſima DD. ſententia. Nota
tamen paucorum dierum interpolati-
onem non interrumpere Novitiatum,
cùm non adſit moralis interruptio, nec
obſtet quò minùs Novitius dici poſſit
experiri Religionem, & Religio No-
vitium. Vide *Leſsium lib. 2. c. 41. n. 59.*

Quæres XXVI. An validus cenſeri
debeat Novitiatus, ſi Novitius toto
tempore illius ægrotet, ideoque non
poſſit experiri auſteritates Religionis?
Reſpondeo. Validum cenſeri Ita *Suar.
Tomo 3. de Relig. lib. 5. c. 1. n. 15.* ex
Navar. Miranda, Sanchez, Rodriquez,
&c. Et probatur. Quia ſic Novitius,
quantum eſt ex ſe, vere manet in ſta-
tu probationis in tali Religione, &

ſub il-

ſub illius obedientia, quod autem actu probari non poſſit, eſt per accidens. Nec refert, quòd annus probationis inſtitutus eſt ad capiendam experientiam. Tum quia finis legis non eſt de ſubſtantia legis. Tum quia in caſu propoſito, Novitius ſatis probatur per infirmitatem, in qua Religio ſufficienter poteſt explorare naturam illius, & aptitudinem ad Religionem, ſicut & ipſe poterit cognoſcere charitatem & mores Religionis.

Quæres XXVII. Utrùm annus Novitiatûs debeat eſſe completus de momento in momentum? Reſpondeo affirmative. Ratio eſt, quia *Trident.* ſtatuit, ut nullus ad profeſſionem admittatur, qui minori tempore, quàm per annum in probatione ſteterit, ſed qui unâ horâ, vel mediâ minùs, ſtetit minùs anno juxta *L. 3. §. Minorem, ff. de minor.* ergò &c. Nec hoc debet cuiquam videri durum. Cùm enim qualibet horâ fungi naſcuntur,

poteſt

potest dari in illa hora talis occasio, quæ & Religioni suadeat, ut Novitiū expellat, & Novitio, ut sponte egrediatur. Et adverte, quod in Anno bissextili duo dies debent computari pro uno, quia tunc ille annus eo solùm modo dicitur completus. Et adverte etiam, quòd iste annus debet quoque compleri ab illis etiam Religiosis, qui transeunt de una Religione ad aliam, cum debeant priùs probare & probari.

Quæres XXVIII. An Novitius ejectus ab Ordine, & iterum admissus debeat repetere Novitiatum? Respondeo debere. Si juste fuit eiectus, sicut enim ipse judicatus est ineptus ad Ordinem, ita nullus est Novitiatus in eo factus. Secùs, si iniuste fuit ejectus, nam nemo sine culpa privari debet jure suo, nisi occurrat justa causa id faciendi, quare cùm in isto casu Novitius absq; sua culpa supponatur privatus jure prosequendi Novitiatum, restitui debet in integrum. Sic *Bordonus*, addēs

non

non interrumpi Novitiatum per accessum ad Superiorem causâ appellationis, aut ad dicendum jus suum, cùm sic non adsit recessus ab Ordine, sed justus recursus ad Superiores.

Quæres XXIX. An expediat Religiosos aliorum Ordinum recipere in propriàm Religionem? Respondeo negative. Primò quia ut plurimùm mutatio Religionis est signum inconstantis animi, & mutabilis, cùm *Apost.* 1. *ad Cor.* 7. dicat. *Unusquisque in vocatione, qua vocatus est, in ea permaneat.* Secundo. Quia non rarò, qui curant transire ab uno in alium Ordinem, id faciunt non studio majoris perfectionis, sed ex rationibus mere naturalibus, v. g. ut commodiorem vitam degant, ut faciliorem accessum ad honores habeant, &c. Tertiò. Quia in eo, qui aliam Religionem probavit, & deservit, plerũq; manent aliqua vestigia prioris Professionis, & aliquæ apprehensiones di-

versæ ab instituto Religionis, in quá de novo admittitur, ideoque timeri potest aliqua difformitas, quæ possit pacem communem turbare.

Quæres XXX. An Novitij teneantur ad observantiam Regularum, & Constitutionum Ordinis, in quo probantur? Respondeo. Per se, & directe non teneri, teneri tamen ex gravi decentia, posito quòd velint manere in probatione. Ita *Suarez* loco supra citato. *Sanchez Lezana &c.* Prima pars probatur, tum quia nondum professi sunt Regulam, neque se totos Religioni tradiderunt, sed versantur in probatione ad experiendum an debeant admitti, nec ne. Tum quia etiam Cathechumeni non adstringuntur legibus Ecclesiæ, donec per baptismũ in Ecclesiæ gremium perfecte admissi sint, quippe qui non sunt vera membra Ecclesiæ, sed sunt in via, ut fiant per baptismum. Eadem autem ratio militat quoad Novitios respectu ob-

ſervantiæ regularis, cùm hi vere non ſint partes communitatis Religioſæ; ſed ſolùm ſunt in via, ut per profeſſionemReligioſam ad eam admittantur.

Partis ſecundæ ratio eſt. Tum quia ut habetur *cap: Recolentes de ſtatu Monach:* dignum eſt, ut qui ſimilem cum alijs vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam. Tum quia ipſi Novitij ad hoc videntur ſe virtualiter obligâſſe, quando habitum ſuſceperunt, inito pacto cum Religione, ut quamdiu ibi manerent, ſicut ab eâ ſuſtentari debent, ita & ab ea religioſe corrigi poſſint.

Quæres XXXI. An Novitij egredientes á Religione teneantur ſolvere expenſas in ſuis alimentis conſumptas in Monaſterio? Reſpondeo, ſecluſo pacto, non teneri. Tum quia Novitius libere poteſt redire ad ſæculum, non poſſet autem libere redire, ſi ad præfatas expenſas teneretur, ſæpe enim retineri poſſet, quod non haberet, un-

et, unde ſolvat expenſas. Tum quia ngrediens Religionem, ſtatim ſe offert ſervitio ac utilitati Religionis, deòque debitum eſt, ut eius bonis latur: quamquam *Lezana* putet hâc eſponſionem non habere locum in eo, qui Religionem ingrediatur deravata intentione, cùm non deceat llum referre commodum ex delicto.

Quæres XXXII. An egredienti novitio ſit reſtituendus habitus factus expenſis ipſiuſmet novitij? Reſpondeo. Dictum habitum non eſſe reſtituendum ei, bene tamen valorem illius temporis, quo eum deponit, non quo factus eſt. *Barboſa in cap: de reg: n. 5.* afferens Decretum Sacræ Congregationis. Ratio reſponſionis eſt, quia per *Trident: Seſſ. 25. de Regul: cap: 16.* Novitijs reſtituenda ſunt omnia, quæ à principio ad Religionem detulerunt.

Quæres XXXIII. An novitij poſſint uti privilegijs ſui Ordinis? Re-

ſpondeo poſſe, tum quia juxta communem DD. ſententiam, novitij in favorabilibus veniunt appellation[e] *Religioſi, cap: Religioſo, paragraph[o] Quamvis de ſent: excom: in 6.* Ub[i] ut novitius gaudeat privilegio Canonis, dicitur comprehendi ſub nomine Religioſi. Tum quia novitij pro tempore novitiatûs ſunt ſub poteſtate Religionis, & ſuo modo ſuſtinent onera illius, ergo & par eſt, ut participent privilegia. Ita *Suar: Mol: Azor Diana* relati à *Pellizario Tract: 2. c. 7. n. 1.*

Quæres XXXIV. Si Novitius ordinetur, à quo Epiſcopo ordinari debeat? Reſpondeo. Licet probabile ſit, eos debere ordinari á proprio Epiſcopo, quippe per Novitiatum non cenſentur acquiſiviſſe domicilium in loco probationis, cùm non habeant animum perpetuò manendi in Religione, ſed eam experiendi, eaque expertâ ſtatuendi, num ibi permanſuri

ſunt,

sunt, quomodo non compararet domicilium, qui à proprio domicilio recederet aliò, nondum firmiter statuens illîc permanere, sed solùm experiri, an id sibi expediat. Est tamen probabile, Novitios posse ordinari ab Episcopo, in cuius Diœcesi probantur, siquidem novitius per habitûs Religiosi assumptionem censetur acquirere domicilium, utpote qui ingreditur Religionem cum proposito ibi manendi perpetuò, quantum est ex parte sua, nisi forte mutatio aliqua contingat, ratione cuius institutum Religionis ei conveniens non videatur, quod certe non obstat, quò minùs dicatur acquirere domicilium, sicut nec obstat alijs, qui regulariter eo animo constituunt domicilium, ut si casus incidat, aut melior occasio offeratur, mutaturi sunt. Ita *Pellizarius tract: 2. cap: 7. n. 47.* cum *DD.* ibi citatis. Dimissorias autem dare debet Prælatus Conventûs, non

secùs ac alijs Religiosis, quorum pr vilegijs frui novitios, dictum e supra.

Quæres XXXV. An Novitij ord nari possint titulo paupertatis? Re spondeo negative. Quia ut Regula ris hoc titulo ordinari possit, requi ritur, ut sit professus, ex Constituti one *Pij V.* in ordine 75. in qua ex tendens Decretum *Concilij Trid:* d Clericorum sæcularium promotion ad sacros Ordines, etiam ad Clerico regulares, sive sæculares more Reli giosorum in communi viventes, pro hibet, ne dicti Religiosi non profes ullo modo promoveantur absque titulo patrimonij, aut beneficij, ipsi non suffragante titulo paupertatis, sub pœnis ibi contentis.

Quæres XXXVI. An valide ac licite possit eligi in Prælatum Monasterij, qui post emissam professionem expressam in aliquo ordine, transit ad alium, ibique adhuc est novitius? Respon-

spondeo negative, Nam *cap: Nullus de elect: in 6.* dicitur. *Nullus Religiosus ad Abbatiam seu Prælaturam, suæ vel alterius Religionis de cætero eligatur, nisi antea fuerit Ordinem regularem expressè professus, quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur.* Concedo tamen, quod si Religiosus professus in uno Ordine, transeat ad alium, ibique adhuc novitium agat, possit eligi in Prælatum prioris Ordinis, cùm sic revera eligatur professus ordinis, in quo exercenda est Prælatura, & consequenter observetur dictum caput *Nullus.*

Quæres XXXVII. An Religiosus jam professus possit testamentum suum in aliqua parte dubium simpliciter, & sincere ad lites vitandas declarare? Respondeo. Potest, quia qui declarat, nihil de novo addit. Et sicut Iudex sententiam latam revocare non potest, potest tamen declarare, ita & in præsenti fieri potest,

 cùm

cùm militet eadem ratio. Vide *Peyrinis de officio Præl: regul: q. 3. cap 1. n. 209.*

Quæres XXXVIII. An renuntiatio facta à novitio ante ingressum religionis, intuitu tamen ingressûs, valeat? Respondeo, Valet, ita *Vega 1. p. sum. cap: 91. casu 4. Passarel: in privil. minim: notab: 37.* ad finem, ubi refert declarationem *Sacræ Congregationis* pro hac sententia factam *Anno 1573. die 22. Octob:* in hæc verba *Congregatio Concilij censuit Decretum Concilij Trident: seß: 25. de Regul: cap. 16.* non habere locum in renuntiatione facta ante susceptionem habitûs. Quam sententiam defendit etiam *Sanchez lib: 7. in Decal: cap: 5. num: 4.* Et in praxi eam observari, asserit *Peyrinis ad constitutionem Sixti IV. n. 73.*

Comprehenduntur ergo in eo decreto, omnes contractus, in quibus novitius spoliat se aliqua parte notabili hæreditatis suæ, absque spe eam ampli-

amplius recuperandi, ut donatio, renuntiatio, alienatio. Illi autem cõtractus, in quibus novitius nihil deperdit de ſuo, ut ſunt emptio, venditio, permutatio, locatio & ſimiles non comprehenduntur hoc decreto. Et ratio eſt, quia finis huius Decreti eſt, ne novitius patrimonio ſuo deſtitutus, hac occaſione cogatur profiteri.

Quæres XXXIX. Si novitius renuntiatione facta in favorem Monaſterij, vel alterius, modo debito facta. é vivis decedat, an renuntiatio illa valeat, maxime ſi revocata non ſit? Reſpondeo negative. Quia *Trident.* expreſſè dicit, quòd dicta renuntiatio non intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecutâ profeſſione. Et ita ſibi â Sacra Congregatione reſponſum agit *Paſſar.* ubi ſupra, *parag. Si autem.*

Si quæras, ſi profeſſio ſecuta quidem ſit, ſed invalida, quid dicendum?

Reſpondeo cum *Sanchez* ſupra citat renuntiationem non valere. Qui *Tridentinum* petit ſequi profeſſionem & verba intelligenda ſunt cum effect & perinde eſt actum non fieri, ac eſſ nullum, *L. duo ſunt Tity, ff. de te ſtam. tutel.*

Quæres XXXX. Ad validitatem profeſſionis an requiratur legitima au ctoritas in recipiente? Reſpondeo af firmative. Quia profeſſio eſt contra ctus oneroſus, ultrò citròq; obliga torius, qui fieri non poteſt ſine con ſenſu utriuſque partis, ergo pro par te Religionis requiritur perſona ido nea, quæ habeat poteſtatem eam o bligandi. Quæ autem ſit hæc Per ſona, inſpicienda ſunt ſtatuta ſpeci alis Religionis cujuſque. Unde ſe quitur Superiorem ad officium ſuum electum invalide, ad profeſſionem recipere non poſſe.

Quæres XXXXI. In dubio an pro feſſio ſit valida, nec ne, pro quo præ-

ſumen-

ſumendum ſit? Reſpondeo. Profeſſione, tum quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis, & Religio eſt in poſeſſione. Tum quia ſumma eſt ratio, quæ pro Religione facit *L. ſunt perſonæ, ff. de Relig. & ſumpt. fun.* Dubius itaque de validitate ſuæ profeſſionis eam ratificare tenetur, ut dicit *Suar. Tomo 3. de Relig. lib. 7. c. 2. n. 6.*

Quæres XXXXII. An certus de nullitate ſuæ Profeſſionis, quam bona fide à principio fecit, teneatur quocunque tempore eam ratificare? Reſpondeo. Non teneri, licet per ſententiam publicam cogatur in Religione manere, unde ſi non poteſt illam in foro exteriori probare, poteſt ſecluſo ſcandalo fugere. Intellige in foro conſcientiæ, nam de foro externo infra patebit quid dicendum ſit. *Ita Suarez Tomo 3. de Relig: lib: 7. cap: 2. n. 6. & cap: 3. n. 1. & 9. Navar: comm: 4. de Regul num: 76. verſu Ad-*

ſu Advertendum 4. & lib: 3. conſ: de Regul: conſ: 89. n. 6. & 7. Henriq: lib: 11. cap: 11. n. 3. Hinc & in cap: 8. num: 9. in comm: lit. S. Rodri: Tomo 3. quæſt: Regul: quæſt: 17. art: 71. Verſu ſuper quibus, Sà verbo Religio, num: 71. Sanch: lib: 7. de matrim: diſp: 37. num: 11. Vech: de nov: diſp: 14. a. num: 3. Leſſ: lib: 2. de juſt: c. 41. dubit: 7. n. 65. Peyrinis de officio Prælati Regul: q. 3. c. 1. n. 141. Probatur. Tum quia nemo poteſt ad Religionem cogi. Tum quia ſententia ſuper hoc à Iudice lata, cùm falſo fundamento innitatur, non obligat, & ſi obligaret, ad ſummum obligaret ad actus externos. Tum quia ſententia non obligat ad vovendum, ſeu ad ſervandum vota, ſi ergo non vovit, vovere denuò non tenetur.

Quæres XXXXIII. Si profeſſio fuit irrita non ratione inhabilitatis profitentis, ſed quia ficte, aut metu, vel dolo irritante illam, emiſſa eſt, an requi-

equiratur ad eam validandam no-
rus Conventûs conſenſus? Reſpon-
leo. Sufficere, ſi accedat liber pro-
eſſi conſenſus, qui ſciens ſuam pro-
eſſionem eſſe irritam, velit eam ra-
am habere. Ratio eſt, quia conſen-
ûs Conventûs jam interfuit à princi-
ɔio validus. *Navar lib: 3. conſ. de Reg: conſ: 50. n. 1. Sanchez: lib: 7. de natrimonio, diſp: 57. n. 60. & 61. Sà verbo Religio, n. 23. Suar: Tomo 3. de Rel: lib. 7. c. 1. n. 16.*

Idem docent multi & graves DD. apud *Peyrinum* ſupra citatum *n. 146* de profeſſione, quæ fuit irrita ratione qualiſcunque inhabilitatis. Quia licet Conventus non potuerit legitime acceptare, Papa tamen pro bono pacis, & Religioſorum conſolatione dictam Profeſſionem acceptat Religionis nomine, *in cap: ſignificatum de reg: & in cap: 1. eodem tit: in 6.* Opinionem tamen oppoſitam ſequi volens, poſſet, ſi defectus eſſet occultus,

à Præla-

à Prælato Conventûs in Sacramento Pœnitentiæ novam acceptationem requirere, & si ipse solus non posset, tacito nomine, posset impetrare Conventûs consensum vel licentiam petere à Papa.

Quæres XXXXIV. An quando novitiatus fuit invalidus, quia Novitius habeat uxorem v. g. & sine illius consensu ingressus est, vel alia de causa, cessante impedimento propter mortem mulieris, &c. Absque novo Novitiatu revalidari possit? Respondeo. Posse, quia cùm jam probatæ sint anno integro austeritates novitiatûs, novitij qualitates, satisfactum est fini, propter quem jura dictum Novitiatum instituerunt, *Sanchez lib: 7. de matr: disp: 37. n. 47. & 48.*

Quæres XXXXV. An Novitiatus iterandus sit, quando aliquis Conversorum ad statum Clericorū transfertur? Respondeo negative. Quia Novitiatus conceditur ad experimentum

ım ſumendum de qualitatibus novi-
ij, & Religionis, ut uterque ſit in
ibertate, ille ad exeundum, hæc ad
xpellendum, ſed quando Converſi
ransferuntur ad ſtatum Clericorum,
on ponuntur in libertate vel per-
nanendi, vel exeundi ex Religione,
rgo &c. Fateor in oppoſitum cir-
umferri aliquam declaratione᷍ ſacræ
Congregationis *Anno 1618.* emanatã
quæ tamen *Peyrino* teſte loco ſupra
itato *n. 148. fortè non eſt vera, vel
eſt vera, non eſt uſu recepta.*

Quæres XXXXVI. Quod tempus
leterminatum eſt Religioſis ad recla-
nandum, ſeu allegandum, ſe non eſſe
profeſſos? Reſpondeo. Quinqenni-
ım, quo elapſo, nullatenùs id poſſunt
acere. Ita *Trident: ſeſſ. 25. c. 19.* Hoc
amen intellige, niſi allegaverint le-
gitimas cauſas, ob quas non potue-
rint intra prædictum tempus recla-
nare. Quia ita pie interpretanda eſt
nens *Concilÿ*. Ita probabiliter *Navar.*

com.

com. 4. de Reg. a. num. 71. Intelligitur etiam quoad forum exterius, nam quoad interius, si professio fuit nulla propter metum, coactionem, &c. nulla erit per se obligatio. Cùm nec summus Pontifex possit efficere, ut consensus coactus, durante coactione, sit liber, qualis requiritur ad professionem. Hoc tamen decreto non obstante, putat *Peyrinis tomo 1. de subdito, q. 1. cap. 25.* posse Prælato Religionum etiam transacto quinquennio eijcere Religiosum, quem noverint habuisse in professione defectum alicujus conditionis irritantis illam. Quia Concilium solùm videtur determinare illud quinquennium pro reclamatione professorum. Porro ut reclamatio professi audiatur, quid requiratur, vide *Trident. loco citato.*

Quæres XXXXVII. Quid sentiendum de professione Hermaphroditi? Respondeo si in eo prævaleat sexus virilis, valida erit in Monasterio virorum,

rorum, si prævaleat sexus fœmineus, in Monasterio Monialium. Ratio est, quia hic judicatur vir, aut fœmina, juxta sexus prædominantem; si verò uterque sexus sit æqualis, & aptus ad coitum, in neutro Monasterio poterit valide profiteri. Quia tunc respectu fœminarum erit vir, & respectu virorum fœmina. Ita *Henriquez lib: 14. de Regul: cap: 8. num: 6.* Qui bene advertit etiam in casu, quo hermaphroditus haberet sexum prævalentem, v. g. viri, non esse admittendum inter illos, nam afferret maximum periculum incontinentiæ Religiosis.

Quæres XXXXVIII. An professio facta ficte, id est sine intentione profitendi, sit valida? Respondeo. Non esse quoad Deum, quia non est vera, sed ficta promissio, sicut homo pictus non est verus homo. Quoad forum externum tamen valida est. Quia Ecclesia non judicat nisi de externis

Professio autem facta animo promittendi, sed non se obligandi, quoad Deum, & homines, valida est. Quia ex natura promissionis sequitur naturaliter obligatio, sicut illuminatio ex sole.

Quæres XXXXIX. An Decretum *Concilij Tridentini sess: 25. cap: 19. de Regul:* vendicet sibi locum non modò cùm professus nullitatem suæ professionis allegat, causásque deducit, verum etiam cùm Superiores ipsi ex se illum eiecére tanquam in validũ professum? Respondeo affirmative; dimissionesque ac ejectiones professorum â Religione, sive ex capite illegitimitatis, vel ex alio defectu, fieri debere conjunctim coram Ordinario, & Superiore Regulari loci ad præscriptum *Tridentini* loco citato. Ita decrevit sacra Congregatio *in Neapolitana die 16 Decemb: 1617. & die 15. Novemb: 1653.* quæ decreta vide extensa apud *Lezanam Tomo 1. cap: 2. dubio 1. n. 53.*

Quæres L. An qui habuit Novi-
iatum in diverſis Conventibus, ne-
ceſſe ſit ad validitatem profeſſionis
pſius, ut acceptetur ab utroque Con-
ventu, an ſufficiat acceptari a poſteri-
ori, ubi Novitiatum perfecit, & pro-
feſſionem emiſit? Reſpondeo; ſuffi-
cere acceptationem poſterioris. Ra-
tio eſt, quia prior Conventus non
habet ampliùs jus ſuper Novitium à
ſe licentiatum, cùm ſit modò ſub di-
ſciplina ſecundi Conventûs. Confir-
matur, quia ſicut per translationem
alicuius Religioſi ex una Religione
ad aliam, deperditur omne jus,
quod prior Religio in ipſum habe-
bat, ita etiam per translationem ex
uno Novitiatu ad alium, deperditur
omne jus, omniſque poteſtas in Per-
ſonam Novitij translati: ad quid er-
go neceſſarius eſt prioris Conventûs
conſenſus? Adde, ſupponi Prælato
poſterioris Conventûs conſtare de
idoneitate Novitij ad profeſſionem

admittendi, ut quid ergo erit opus requirere consensum alterius Conventûs. Ex Regula enim illa juris, quæ inter illas est 31. habetur, eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportere. *Lezana loco citato dubio 4. n. 85. & 86. &c.*

Quæres LI. An decepti quoad essentialia, v. g. quòd non tenebitur servare castitatem, aut in Ordine *Minimorum*, quòd non obligabitur abstinere carnibus, valida sit professio? Respondeo. Nullius eam esse vigoris. Quia cùm deceptio sit circa substantialia regulæ, quæ sunt vota, tollit omninò voluntarium requisitum ad votum. *Sayrus in Clava regia lib. 6. cap. 9. Ledesma pagina 218.*

Si tamen deceptio fiat non circa substantialia, sed circa statutum aliquod particulare illius Religionis, quod est apud illam maximi ponderis, & in maxima observantia, tunc

dece-

deceptio quidem illa non annullat professionem, ſed dat profeſſo juſtam cauſam petendi tranſitum ad aliam Religionem. Primum probatur, quia circa ſubſtantialia deceptus non eſt unde ad illa tenetur. Secundi ratio eſt, nam cùm ſit deceptus in re gravi, & multum contra ſuam voluntatem gravatus, nec poſſit gravamen illud alterâ ipſi viâ compenſari, habet juſtum titulum petendi diſpenſationem, ut ad aliam Religionem tranſire poſſit.

Quæres LII. An liber, in quo regiſtratur Novitiorum profeſſio, fidem faciat, probetque in judicio? Reſpondeo affirmative. Quia hic liber eſt ſicut liber Eccleſiæ Rectoris, ex quo probatur nativitas, & mors. Nota hîc autem, eſſe optimam conſuetudinem earum Religionum, in quibus non ſolùm ſcribitur annus, dies & hora profeſſionis, ſed etiam annus, menſis, dies, & hora induitionis No-

vitij, sæpiùs enim accidere potest, ut ij, qui non Religionis, sed panis amore, ad Religionem veniunt, postquam esurientem repleverint ventrẽ, murmurent, impinguati recalcitrent, & antiquarum miseriarum obliti, nauseantes cœleste Religionis manna, in Ægyptum sæculi reverti quærant, prætendentes, quòd annum professionis non expleverint, quibus *Peyrino* teste *in addendis ad Constit: Urbani VIII. cap. 8.* si conscientia sineret, portæ omnes essent aperiendæ, & pulsantibus campanis dimittendi.

Quæres LIII. Cùm professus unius Ordinis transire petit ad arctiorem Religionem, unius Superioris sit eam facultatem facere? Respondeo. Generalis in toto Ordine, vel Provincialis in sua Provincia. Quia ad ipsos ordinarie spectat recipere Fratres ad Religionem, sed per easdem causas dissolvitur contractus, per quas fit, ergo &c. Ubi autem

Priores conventuum habent facultatem Fratres ad Ordinem recipiendi, poterunt ipsi talem facultatem concedere ob eandem rationem.

Si verò loquamur de trâsitu ad Religionem æqualem, & adsit justa causa dispensandi, potest Prælatus Regularis dispensare, ut tradunt *Panormit. Rodriq. Sanch. Mir.* & alij relati à *Peyr: de Rel: sub: q. 1. c. 24. èx Glossa in c. Cùm singula de præbend: & dignit: in 6*. adducente ad hoc *c. statuimus. 19. q. 3.* si verò non adsit justa causa, tunc solus Papa potest dispensare, ut docent DD. ab eodem *Peyrino* allegati. Ratio est, quia talis facultas non videtùr deneganda supremæ potestati Papæ, præsertim cum sic votum commutetur in bonum æquale, Deoque parùm referat, quòd in hoc vel illo loco ei debita solvantur.

Si loquamur autem de transitu ad Religionem laxiorem, idque sine causa fa-

ſa, facultatem eiuſmodi nec ipſe Pontifex dare poterit. Pro quo vide DD. multos ubi ſupra apud *Peyrinum*. Et ratio eſt, quia diſpenſatio circa legem dependentem à jure Divino, ut in caſu noſtro non poteſt à Pontifice fieri, ſine juſta, & legitima cauſa, ut habet in ſpecie *Rodriq: tom: 3. quæſt: Regul: q. 52. art: 10.* ſed hic intervenit diſpenſatio, ergo, &c. oppoſitum dic, ſi iuſta cauſa, & legitima interveniat, quo caſu eſſe probabile facultatem talem concedi poſſe etiam à Prælato Religionis docet *Peyrinis* loco citato cum multis DD. quos ibi vide. Cœterùm cùm omnes fere Religiones habeant ſua peculiaria privilegia prohibentia huiuſmodi tranſitum, etiam ad Religionem arctiorem, ut eſt videre apud *Caſarub. in Compen: privil:* verbo *Apoſtatæ*, & verbo *Religio*, ad evitandas cenſuras in eiuſmodi privilegijs poſitas, tam cõtra receptos, quàm cõtra recipientes,

tes, conſultum eſt ut volentes zelo rfectioris vitæ tranſire, obtineant centiam à Pontifice, vel à ſacra Cō-regatione Regularium.

Cauſæ autem legitimæ tranſeundi d Religionem minùs ſtrictam eſſe oſſunt, ſi Religioſus infirma vel in-ommoda valetudine utatur: Vel erte ſit naturâ corporis adeò fragili, it auſteritates Religionis ſtrictioris ferre nequeat: ſi ſit ſenex, ac proin-de ineptus aſperitatibus Ordinis (ſi in propria Religione extet aliquod perfectionis impedimētum, quod non ſit in alia) ſi odio habeatur ab illis Correligioſis, aut indigne, ac male tractetur (ſiquidem nullam dedit cauſam, vel ſi dedit, eam ſuſtulit re-ſipiſcendo) ſi in Ordine ita infama-tus ſit ob aliquod delictum commiſ-ſum, ut ſemper in eo victurus ſit tri-ſtis, & pudore ſuffuſus: ſi impruden-ter ibi profeſſus eſt, aut ex ſimplici-tate credens eam Religionem non

esse sic austeram: si obnoxiam aeri intemperiem non possit reperiri Monasterium, in quo degat sine periculo (quod tamen non potest moraliter evenire (si in uno Ordine laxiori subvenire possit gravi indigentiæ parentum, cui commode nequit succurrere in strictiori. Ita *Sanch: lib: 5. moral. cap: 4. n. 72. ex Rodriq: tom 3. quæst: 52. art. 9. Azor: tom: 1 lib: 12. cap. 14. quæst. 8. & alijs.*

Quæres LIV. An Novitij in articulo mortis existentes possint profiteri ante annum probationis expletum, dummodo tamen in ætate legitima constituti sint, sicque lucrari indulgentias, & gratias alijs Professis concessas? Respõdeo affirmative. Quia ita concessit *Pius V.* Monialibus *S. Dominici* Anno 1570. Unde isto privilegio potiri possunt omnes communicationem habentes cum *Dominicanis.* Ita *Lezana Tomo 1. cap. 25. num: 39. &c.* Probabile etiam est

sic pro-


c professum, si non decedat è vita, non indigere nova professione.

Cùm talis professio valida fuerit, & solùm illi defuerit complementum Novitiatûs, in quo Papa dispensat. Unde *Peyrinis* loco citato. Si tamē oppositum à sacra Congregatione aliquādo decisum sit, ei decisioni colla submittenda.

Cætera dubia huc spectantia, quâ ratione solvenda sint, Decreta adducta, & Religionis unius cuiusq; statuta docebunt.

F I N I S.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0024910

